INSTITUTIONES METAPHYSICÆ,

AUDITORUM

USIBUS ACCOMODATÆ

A P. JOANN. BAPT. HORVATH. SOCIETATIS JESU,

In Regia Scientiarum Universitate Budensi Theoriæ Physicæ Sublimioris, Physicæ item Experimentalis, & Mechanicæ Professore.

EDITIO MATRITENSIS.



MDCCCXVII.

EX TYPOGRAPHIA FUENTENEBRO.

Superiorum permissu.

CONSPECTUS MATERIARUM

METAPHYSICÆ.

DISSERTATIO PRIMA.

COMPLECTENS ONTOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM.

De primis demonstrationum principiis.

CAPUT SECUNDUM.

De possibili & impossibili.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

De ente composito & simplici ; item de absoluto & relativo.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

De ente finito & infinito , mutabili & immutabili; necessario & contingente.

CAPUT NONUM.

De principio & causa.

DISSERTATIO ALTERA.

COMPLECTENS COSMOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM.

De natura, & origine mundi.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

De motu & viribus corporum.

CAPUT SEXTUM.

De fato multiplici, item de naturali & supernaturali.

CAPUT SEPTIMUM.

DISSERTATIO TERTIA.

COMPLECTENS PSYCHOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM.

De inferiore cognoscendi facultate humanæ mentis.

CAPUT SECUNDUM.

De superiore humanæ mentis cognoscendi facultate.

CAPUT TERTIUM.

De adpetitu & voluntate.

CAPUT QUARTUM.

De natura, & origine humanæ mentis.

CAPUT QUINTUM.

De commercio animæ cum corpore.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

De animabus bestiarum.

DISSERTATIO QUARTA.

COMPLECTENS THEOLOGIAM NATURALEM.

CAPUT PRIMUM.

De Dei existentia, & quibusdam attributis.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

De operationibus Dei.

CAPUT QUARTUM.

De religione erga Deum.

PROLEGOMENA

METAPHYSICÆ.

De primis demonstrationum principiis.

1 *Metaphysica* est scientia entis, & mundi generatim, tum speciatim substantiarum incorporearum. Quatuor has scientias, veluti totidem partes in se complectitur: Ontologiam, Cosmologiam, Psychologiam, & Theologiam naturalem.

2 *Ontologia* circa ens, ejusque adfectiones generatim versatur: est vero *ens* omne id, quod existit, vel existere potest. Ontologiæ itaque proprium est, maxime generales rerum notiones determinare, explicareque prima illa principia, quibus scientiæ omnes in suis ratiociniis velut basi, ac fundamento innituntur. Hinc ontologia solet etiam *Philosophia prima* nuncupari.

3 *Cosmologia* contemplatur mundum in genere, tanquam ens compositum, & mutationibus obnoxium.

4 *Psychologia* expendit ea, quæ animarum propria sunt. *Theologia* denique *naturalis* examinat, quidquid de Deo ratione naturali adsequi, hominibus est concessum.

5 Quod ad vocabulorum originem attinet; *Metaphysicæ* nomen antiquis Philosophis ignotum, primum ab Aristotelis interpretibus invectum fuisse traditur. Nempe post obitum Aristotelis, ejus opera in terram defossa; quodque ibidem diutius hæsissent, humore non parum vitiata sunt. Hæc ergo ubi è terra eruta integrare, atque in ordinem digerere tentasset Grammaticus quidam Tyrannio cum Andronico Rhodio; quædam non bene inter se cohærebant, nec ad ullam materiarum classem poterant commode revocari: quæ propterea libris physicorum subjuncta sunt cum inscriptione: Μετὰ τὰ φύσικα, id est, *post* physica. Atque hinc factum esse arbitror, ut indigestæ illi collectioni *Metaphysicæ* nomen adhæreret: quæ tamen progressu temporis magis, ac magis exculta, in nobilissimam scientiam, quæ hodie in magno omnino flore est, demum abiit.

DISSERTATIO PRIMA.

COMPLECTENS ONTOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM.

De primis demonstrationum principiis.

§. I.

De primo humanæ cognitionis principio.

6 Nomine *principiorum* humanæ cognitionis veniunt axiomata, è quibus, velut perspicuis veritatibus, ad aliarum veritatum cognitionem deducimur; ac proinde per quæ reliquas veritates demonstrare solemus. Talia sunt e. gr. *Idem non potest esse, & simul non esse: totum est majus sua parte &c.* Porro veritates demonstrandæ vel sunt necessariæ, vel contingentes: pro veritatibus contingentibus demonstrandis sequ. §pho statuemus generale quoddam principium: veritates necessariæ, si demonstrabiles sint, ex variis principiis deducuntur; principia autem ipsa veritatem suam perspicuitate sua directe manifestant, seu *per se* nota sunt. Quia tamen evenit nonnunquam, ut veritas uni intellectui *per se* nota ab alio non æque pervideatur, aut à pertinaci Adversario præfracte negetur; in ipso Ontologiæ primo aditu statuendum est primum humanæ cognitionis principium, quod ne à pertinacissimo quidem negari possit, simulque ejusmodi sit, ad quod reliqua omnia principia tanquam ad ultimum tribunal exigi queant.

7 Primi humanæ cognitionis principii, prout illud hoc loco sumitur, hi sunt characteres: 1.*mo* Cum axioma sit, debet esse effatum *per se* notum, ita ut à quovis sano intellectu facillime pervideatur. 2.*do* Debet esse *primum* inter principia ita, ut ejus veritate nondum stabilita omnia reliqua principia nutent, neque ullum eorum pro firmo cognitionis alicujus principio constitui possit: consequenter debet esse *primum* ita, ut ejus veritas ex alio principio deduci, ac demonstrari nequeat. Neque tamen debet illud hoc etiam sensu primum esse inter principia; ut ejus veritas præ ceteris veritatibus prima obversetur menti hominis, dum ille primum rationis usum adipiscitur. Secus enim in primo humanæ cognitionis principio investigando perderemus operam; cum satis constet, non unam eandemque veritatem omnibus, sed aliis alias primum obversari, dum uti ratione incipiunt. 3.*tio* Ejusmodi sit, oportet, ad quod reliqua omnia axiomata reduci queant, ita nimirum, ut, si axioma quodpiam pertinax Adversarius rejicere audeat, eum ope pri-

mi principii indirecta demonstratione convincere, seu ad absurdum nulli non manifestum (*Log.* 140.) deducere possimus. Dico: *indirecta demonstratione.* Nam si quis hoc sensu vellet omnia principia ad quodpiam primum reduci, ut illa per istud *directe* demonstrentur; multum omnino postularet, nec unquam effatum ullum pro primo principio constitueret. In confesso enim est, omnium axiomatum, non secus ac illius, quod pro primo principio adsignaretur, veritatem sua perspicuitate se se manifestare, atque adeo nullius principii ope posse *directe* demonstrari (*Log.* 91.)

Schol. Isthoc effatum: *idem non potest simul esse, & non esse*; à Philosophis vocatur *principium contradictionis.* Ejus veritatem facile adsequitur, quicunque sanæ mentis est: ut adeo majus quis absurdum nequeat admittere, atque si dicat, idem simul esse & non esse. Et certe vel ille, qui negat principium contradictionis, ejusdem veritatem implicite adfirmat. Qui enim negat principium contradictionis, is innuit falsum esse id principium, idque ideo, quia censet illud non esse verum; ergo negando principium contradictionis innuit, id, quod falsum est, non posse simul esse verum: atqui hoc est adfirmare implicite veritatem principii contradictionis, ut expendenti patet.

8 Propositio. Principium contradictionis, seu effatum isthoc: *idem non potest esse, & simul non esse,* primum humanæ cognitionis principium est. Nam principium contradictionis habet tres principii primi characteres num. præc. descriptos; quod sic declaro. 1.*mo* Est effatum per se notum, ita ut à quovis sano intellectu facillime pervideatur (*præc. Schol.*) 2.*do* Ejus veritate nondum stabilita, omnia reliqua principia nutant, ac proinde nullum eorum potest pro firmo ullius cognitionis principio statui. Nisi enim stet, fieri non posse, ut idem sit, & simul non sit; quodlibet effatum potest esse verum, & simul non esse verum: hinc eodem jure falsis, quo veris accensebitur. Denique 3.*tio.* principium contradictionis ejusmodi est, ad quod reliqua omnia axiomata reduci queant; ita nimirum, ut, si axioma quodpiam pertinax adversarius præfracte rejiciat, eum indirecta demonstratione utendo, præsidio principii hujus ad manifestum absurdum admittendum deducere possimus. Nam sit adversarius, qui e. gr. veritatem hujus effati: *enunciationes contrariæ simul veræ esse non possunt*, pertinaciter inficietur: sic ope principii contradictionis convinci poterit. Sit, si fieri potest, utraque vera harum e. g. contrariarum: *omnis homo est loquax, nullus homo est loquax.* Vi primæ loquax est etiam Petrus, & vi alterius idem Petrus non est loquax; quod principio contradictionis dissentaneum, ac proinde manifeste absurdum est.

9 *Obj.* 1.*mo* Si principium contradictionis esset primum humanæ cognitionis principium, sequeretur, non posse hominem ullius veritatis certam cognitionem adipisci, priusquam intellectum principio contradictionis imbutum habeat: atqui istud sustineri vix potest; nam profecto parvuli, priusquam de principio contradictionis vel somnient, jam veritates quasdam cognoscunt, e. gr. *lac est lac, lac non est aqua* &c.

℞. *D. maj.* Si principium contradictionis hoc sensu esset primum humanæ cognitionis principium, quod cujuslibet veritatis certa cognitio ex illo velut fonte propagetur; sequeretur &c. *C. maj* Si

principium contradictionis hoc sensu esset primum humanæ cognitionis principium, quod ejus veritate nondum stabilita, reliquæ veritates nutent, illa vero stabilita, reliqua etiam principia firma sint, & ad principium contradictionis, si opus sit, reduci possint; sequeretur &c. *N. maj. minorem C. & N. cons.* vel *D.* uti *majorem*.

Urg. 1. Primum cognitionis principium saltem ejusmodi esse debet, ut ex alio non profluat; atqui principium contradictionis ex alio profluit, nimirum saltem ex lumine rationis; ergo non est primum.

℞. *D. maj.* Ejusmodi esse debet, ut ex alio principio non profluat. *C. maj.* ut ex alio, quod non principium, sed fons omnium principiorum est, non profluat *N. maj.* sic *dist. min. N. cons.*

Lumen rationis, seu perspicuitas, quæ veritatem principii contradictionis manifestat, non est principium, sed ipse fons principiorum omnium: quare tametsi certa cognitio principii contradictionis ex ipso rationis lumine promanet, quia tamen non promanat ex ullo principiorum n. 6. definitorum, non est, cur inter principia primum dici non possit. Sic Adam jure dicitur primus homo, eo ipso quod nullus *hominum* extiterit ante ipsum; tametsi animalia, quæ vulgo irrationalia dicuntur, illo prius condita fuerint.

Urgeb. 2. Principium contradictionis deduci potest ex alio, & quidem principio; ergo adhuc principium primum dici non potest. *P. ant.* Deduci potest ex hoc effato: *quidquid perspicuum est, verum est*; atqui effatum isthoc est principium; ergo *P. maj.* Legitime concludit iste syllogismus: *quidquid perspicuum est, verum est; sed perspicuum est, non posse fieri, ut idem sit simul, & non sit; ergo verum est non posse fieri, ut idem sit, & simul non sit*: atqui syllogismus iste complectitur ipsam principii contradictionis ex dicto effato deductionem; ergo principium contradictionis deduci potest &c.

℞. *N. ant.* Ad prob. rursum *N. maj.* Ad hujus prob. *D. maj.* Legitime concludit, si antequam hoc modo ratiocineris, non ponas suam principio contradictionis stare veritatem *N. maj.* si hæc jam præstituta ponatur *subdist.* legitime concludit, ut ajunt, *vi formæ C. maj.* etiam *vi materiæ* ita, ut legitima demonstratio dici possit *N. maj. D.* etiam *min.* complectitur *ad speciem* dictam deductionem *C. min.* complectitur *reapse N. min. & cons.*

Si dum dicto modo ratiocinaris, non supponas prævie, firmum esse principium contradictionis; præmissæ eodem jure falsæ, quo veræ dici poterunt, cum fieri possit, ut idem sit, & simul non sit: igitur ex iis prorsus non fluet determinate veritas consequentis. Sin autem jam ipsæ præmissæ *supponant* veritatem principii contradictionis; incurres in petitionem principii (*Log.* 150.), ac una violabis 1.*mam* demonstrationis legem (*Ejusd.* 141.) Quippe demonstrationis principia, quæ in præmissis continentur, æque controversa erunt, ac sit id ipsum, quod est in quæstione. Quare etsi *vi formæ* syllogismus ille in casu altero sustineri possit, quatenus nempe posito ejus antecedente ipsum etiam consequens poni necesse sit; nihilominus ob materiam suam *sophisticus* erit, ac nominatim *paralogismus* (*Log.* 113.)

Urg. 3. Ideo sumus certi de veritate principii contradictionis, quia id, quod perspicuum est, verum esse debet; ergo principium contradictionis legitime demonstratur ex hoc effato: *quidquid perspicuum est, verum est*, *Prob. ant.* Si id, quod pers-

picuum est, non esset verum; non possemus esse certi de veritate principii contradictionis: ergo ideo sumus de ea certi, quia id, quod perspicuum est, verum esse debet.

℞. *D. ant.* Ideo sumus certi &c. Hoc est, ideo sumus certi de veritate principii contradictionis, quia veritas principii contradictionis sua perspicuitate se se nobis directe manifestat, quin se se mens ad aliquod aliud effatum, quale est istud: *quidquid perspicuum est, verum est*, debeat reflectere. *C. ant.* Hoc est, ideo sumus certi de veritate principii contradictionis, quia postquam ejus perspicuitatem percipimus, reflectimus, nos ad hoc effatum; *quidquid perspicuum est, verum est N. ant. & cons.* Ita sumus à natura comparati, ut tam principii contradictionis, quam ceterorum etiam principiorum veritatem solis terminis rite expensis illico intelligamus, quin ad aliud quodpiam principium nos debeamus reflectere, ratiocinarique: unde etiam id genus effata vocantur *per se nota.* Itaque veritatem principii contradictionis ex dicto effato prorsus non discimus: imo si illam ex hoc effato conaremur deducere; aut nullam possemus formare conclusionem, aut in petitionem principii incurreremus, uti in *resp. ad Urg.* 2. ostensum est.

Ad prob. *D. ant.* non possemus esse certi &c. idque ideo, quia veritas hujus effati: *quidquid perspicuum est, verum est*, necessario connectitur cum veritate principii contradictionis *C. ant.* idque ideo, quasi veritas principii contradictionis inniteretur veritati dicti effati, & ex ea demonstraretur *N. ant. & cons.* Si hoc effatum: *quidquid perspicuum est, verum est*, ponatur esse falsum: manifesta est deductio ad absurdum, seu ponitur idem esse, & non esse, ac proinde principium contradictionis evertitur: ergo veritates horum duorum principiorum ita connexæ sunt, ut sublata prioris effati veritate etiam principii contradictionis veritas concidat; & contra. At ex hac connexione non licet inferre, dictum effatum esse prius principio contradictionis. Nam principium contradictionis cum quolibet alio principio habet id genus connexionem, quodcunque enim aliud principium ponas esse falsum, illico manifesta est ad absurdum deductio, seu principium contradictionis evertitur: quodsi ergo ex dicta veritatum connexione inferre liceret, dictum effatum esse prius principio contradictionis; eodem jure quodlibet aliud principium eodem principio contradictionis prius esse deberet: quod tamen nimium utique est.

10 *Obj. 2.do* Primum humanæ cognitionis principium ejusmodi esse debet, ad quod reliqua principia reducantur; atqui ad principium contradictionis nequeunt reduci reliqua principia: nam hoc ex. gr. principium: *totum est majus sua parte*, qua ratione reduces ad principium contradictionis?

℞. *D. maj.* ejusmodi esse debet, ad quod reliqua principia reducantur ita, ut horum veritas ex illo *directe* demonstretur *N. maj.* ita, ut si quodpiam principium temere neget Adversarius, negati principii contradictionis, ac proinde absurdi admissi manifeste convinci possit *C. maj.* sic *dist. min. N. cons.* Recole tertium principii primi characterem (7). Ad prob. *min.* ajo eum, qui hoc principium: *totum est majus sua parte*, temere inficiaretur, sic posse convinci negati principii contradictionis: totum, quod non esset majus sua parte, esset totum, ut ponitur; & simul non esset totum, cum lumine naturæ notum sit, plures partes

quodpiam totum constituentes amplius quidpiam esse, quam sit unaquæque pars seorsim accepta: qui ergo negat totum esse majus sua parte, admittit idem esse totum, & simul non esse totum, ac proinde principium contradictionis evertit.

Urg. Principium contradictionis est effatum negativum; ergo principia adfirmativa ne indirecte quidem possunt per illud demonstrari: consequenter principium contradictionis non est ejusmodi, ad quod omnia reliqua principia reduci possint.

℞. *C. ant. N. cons.* Nam paulo superius vidimus, quomodo adfirmativum hoc principium: *totum est majus sua parte*, ad principium contradictionis reduci possit. Imo in directis etiam demonstrationibus evenire potest, ut tametsi alterutram præmissam enunciatio negativa constituat, conclusio tamen sit adfirmativa. e. g. *Mundus vel à se habet existentiam suam, vel ab alio: sed non habet à se, ut demonstrari potest, ergo habet ab alio.*

§. II.

De principio rationis sufficientis.

11 Hoc effatum: *Nihil est sine ratione sufficiente*, nuncupatur *principium rationis sufficientis.* Est vero generatim *ratio sufficiens* id, ex quo intelligi potest, cur aliquid sit potius, quam non sit, & cur hoc potius, quam alio modo sit. e. gr. Si moriatur quispiam, debet subesse aliquid, cur vivere desierit: quodsi ergo ponamus eum tabe hectica sensim fuisse consumptum: hæc ipsa erit *ratio sufficiens* mortis. Porro triplex classis solet statui rationis sufficientis. Videlicet id, ex quo intelligitur, cur aliquid existere possit, est ratio sufficiens *possibilitatis*: id, ex quo intelligitur, cur aliquid existat, est ratio sufficiens *actualitatis*: id denique, ex quo intelligitur, cur aliquid cognoscatur, nuncupari solet ratio sufficiens *cognitionis.*

Schol. De veritate principii hujus ipsa natura nos tacite admonet, qua duce, & magistra fit, ut vix admittamus quidquam sine ratione sufficiente, inque admirationem rapi soleamus, si quid eveniat, cujus rationem sufficientem non assequamur. Imo, si vel ipsi termini principii ejus rite dispiciantur, veritas illius sua perspicuitate se se facile manifestat. Unde non tam demonstrabimus principium rationis sufficientis, quam vim verborum, quibus illud proponitur, Tironibus tantisper enucleabimus.

12 Propositio. Nihil est sine ratione sufficiente; ac proinde principium rationis sufficientis est verum.

Prob. Ponamus rem quampiam esse potius, quam non esse. Debet subesse aliquid, cur illa sit potius, quam non sit; secus enim eodem jure esset, quo non esset, quod tamen principio contradictionis adversatur: atqui id ipsum, ob quod nimirum illa est potius, quam non est, vocatur ratio ejus sufficiens (*præc.*); ergo si res quæpiam sit potius, quam non sit, debet adesse ejus ratio sufficiens, consequenter nihil est sine ratione sufficiente.

Coroll. 1. Quidquid rationem sufficientem habet, eam vel in semetipso, vel in alio ente extra se posito habeat, est necesse. Igitur alia est ratio sufficiens *interna* rei; alia *externa*, seu quæ in alio quopiam ente sit quærenda.

Coroll. 2. Posita ratione sufficiente id quoque poni necesse est, cujus est ratio sufficiens. Secus enim ratio illa esset sufficiens, & simul non esset, quod absurdum est. Esset, ut ponitur: at simul non esset; nam

ex ratione sufficiente intelligitur, cur res sit potius, quam non sit; ex dicta vero ratione non intelligeretur, cum etiam posita illa, res posset non poni.

13 Quod ad usum principii rationis sufficientis attinet: ejus veritatem inniti veritati principii contradictionis, vel ex ejusdem demonstratione n. præc. adlata elucet. Unde consequitur, principium rationis sufficientis non esse *absolute* primum humanæ cognitionis principium. Nihilominus relate ad veritates contingentes pro primo principio, per quod omnes illæ demonstrari debeant, habendum est. Quotiescunque enim quæritur, cur vera sit aliqua data enunciatio in materia contingente, reapse inquiritur in sufficientem rationem ejus, quod enunciatur; & siquidem ejus ratio sufficiens adsignari possit, enunciationis veritas eo ipso demonstratur (*præc.* cor. 2.): quodsi autem detegatur absentia rationis sufficientis; eo ipso detegitur etiam falsitas propositionis: nequit enim tunc ita se habere objectum, uti enunciatur, cum nihil sit sine ratione sufficiente.

14 Id tamen, quod Leibnitzius vult, nempe ipsam etiam Dei voluntatem in rebus condendis externa quadam ratione sufficiente constringi debere, nimium est. Adserit ille *Princ. Phil.* §. 55. "Ex infinitis „mundis possibilibus, qui sunt in „ideis Dei, nonnisi unum posse „existere, esseque necesse dari ra„tionem sufficientem electionis Di„vinæ, quæ Deum ad unum potius, „quam alterum determinet: hanc „rationem non posse esse sitam, ni„si in gradibus perfectionis, quam „hi mundi continent." At istud, uti dixi, nimium sane est. Nam necesse quidem est dari rationem sufficientem, cur Deus hunc determinate mundum præ aliis possibilibus condendum elegerit; ea tamen ratio sufficiens non debet esse Deo externa, quæ in majore hujus mundi, quam aliorum possibilium sit, perfectione consistat, quæve Deum ad hunc definite mundum præ aliis possibilibus eligendum necessario determinaverit. Deum enim liberrimum esse in rebus condendis ita, ut res in se minus perfectas neglectis perfectioribus pro arbitratu suo procreare possit, ambigere non possumus, & suo loco ostendemus. Igitur in eligendo hoc mundo stetit illi pro ratione voluntas; ac proinde ratio sufficiens dictæ electionis Divinæ in libera Dei voluntate sita est. Redibit hac de re sermo; ubi id etiam ostendemus, dici non posse, mundum hunc omnium possibilium esse absolute perfectissimum.

Schol. Tametsi ab hominibus non soleat prudens electio fieri absque rationibus externis; nihilominus videbimus in Psychologia, eam inesse humanæ etiam voluntati libertatem, vi cujus illa unum præ alio, quamvis par utrinque sit externa ratio, eligere, aut etiam postposito majori bono minus bonum amplecti possit. Quare ne in humanam quidem mentem ita dominatur externa ratio sufficiens, ut ab objectis extra nos positis ad hoc, vel illud amplectendum, aut rejiciendum, determineinur. "Motus voluntarius, inquit „Tullius *de fato c.* 11. eam naturam „in se ipso continet, ut sit in nos„tra potestate, nobisque pareat: nec „id sine causa; ejus enim rei causa „ipsa natura est."

15 Quamvis nihil sit sine ratione sufficiente; hæc tamen nobis non semper patet. Quare non illico negandum est omne id, cujus rationem sufficientem non adsequimur. Unde id quoque, quod superius di-

ximus, videlicet omnes veritates contingentes ad principium rationis sufficientis reduci posse, non sic accipiendum est, quasi in nostra potestate esset omnem veritatem contingentem ope ejus principii *re ipsa* demonstrare; sed quod omnis veritas contingens secundum se innitatur principio rationis sufficientis, ita, ut, si 1) ratio sufficiens cujuspiam veritatis detegatur, eo ipso etiam veritas illa innotescat; si 2) manifesta fiat absentia rationis sufficientis cujuspiam rei, eam rem tuto negare liceat, & alia id genus.

16 *Dices*: somnia carent ratione sufficiente; ergo est aliquid sine ratione sufficiente. ℞. *D. ant.* somnia *objective* spectata carent ratione sufficiente *C. ant.* somnia *subjective* spectata carent ratione sufficiente *N. ant. & cons.* Somnia *objective* spectata, sunt objecta illa, quæ in somnio cernere videmur nobis: hujusmodi objecta carent quidem ratione sufficiente; at quoniam ea, quatenus à nobis adparenter visa, nihil sunt, non evincunt quidquam dari sine ratione sufficiente. Somnia *subjective* sumpta, sunt ipsæ operationes mentis, varia phantasmata producentis: hujusmodi operationes mentis sunt quidem aliquid; at ratione sufficiente non carent: quam rationem sufficientem in Psychologia exponemus.

Schol. Non tantum veritates contingentes, sed etiam complures necessariæ variis in scientiis ope principii rationis sufficientis demonstrari solent: cujus rei exemplum vel in probatione propositionis. n. 18. adferenda videre licebit. Nempe non sola *actualitatis* ratio sufficiens, sed etiam *possibilitatis* (11) in detegendis veritatibus usui esse potest.

CAPUT SECUNDUM.

De possibili & impossibili.

§. I.

Quid sit possibile? quid impossibile? & quæ utriusque divisiones?

17 *Possibile* dicitur, quod nullam in se contradictionem involvit: *impossibile* vero, quod pugnantia continet, seu unde consequens est, idem esse & simul non esse. e. gr. Polygonum quadratum *possibile* est; quippe esse Polygonum, & esse quadratum, bene cohærent: at circulus quadratus *impossibilis* est; esse enim circulum, & esse figuræ quadratæ pugnantia sunt. Certe ejusmodi circulus esset circulus, ut ponitur, & simul non esset; cum ex ipsa circuli notione constet, eum quadrata figura præditum esse nequaquam posse.

Coroll. 1. Quod nullam in se contradictionem involvit, non est, cur existere prorsus non possit. Contra, cum fieri nequeat, ut idem sit, & simul non sit, id, quod pugnantia continet, existere omnino non potest. Jure igitur illud *possibile*, istud vero *impossibile* nuncupatur.

Coroll. 2. Cum existere non possit, quod impossibile est; quidquid existit, possibile sit, oportet. Quare ab *esse* ad *posse* legitima est argumentatio, e. gr. *existit mundus, ergo potest existere.* Contra non omne, quod possibile est, nanciscitur existentiam: non ergo valet vicissim à *posse* ad *esse* ducta argumentatio.

18 Duplex rerum possibilitas solet considerari: interna, & exter-

na. *Interna* sita est in ipsa notarum rem intrinsecus constituentium concordia: ut adeo *intrinsecus possibile* illud sit, quod nullam notarum pugnam, & contradictionem continet. *Externa* rei possibilitas est ipsa efficacitas causæ, ad producendam illam sufficientis. Hinc rem *extrinsecus possibilem* esse idem sonat, ac adesse causam, cujus efficacitas ad rem illam producendam exporrigi possit.

Schol. Sunt, qui hanc possibilitatis partitionem rejiciant, nullamque admittant possibilitatem internam, sed externam duntaxat. Horum opinationem sequ. §pho refutabimus, dictamque partitionem stabiliemus.

19 Feri potest, ut id, quod in se duntaxat spectatum possibile est, cum certis rerum adjunctis pugnet. Quare aliud est *absolute impossibile*, aliud *comparative*, aut, ut alii loquntur, *hypothetice impossibile.* Illud est, quod natura sua repugnat, ut circulus quadratus: istud, quod comparate ad certas duntaxat causas, aut certa rerum adjuncta est impossibile; e. g. mortui ad vitam revocatio. Tametsi enim hæc *absolute* possibilis sit, comparate tamen ad certas causas, videlicet naturales, impossibilis est. Certe si ponamus mortui ad vitam revocationem fieri viribus naturæ, illa fiet viribus naturæ juxta adsumptam hypothesim, & simul non fiet viribus naturæ, cum constet, ad hujusmodi effectum vires naturæ extendi non posse.

20 Ex eodem fonte promanat alia etiam impossibilium divisio: videlicet in metaphysice, physice, & moraliter impossibile. *Metaphysice* impossibile idem est cum *absolute* impossibili (*præc.*) *Physice* impossibile est, quod naturæ vires exuperat, ut mortui ad vitam revocatio. *Moraliter* denique impossibile est, quod licet naturæ viribus fieri possit, non tamen absque ingenti difficultate. Unde etiam aut nunquam, aut admodum raro evenit. e. gr. Moraliter impossibile est, ut, qui à prava societate non abhorret, seque in pericula promiscue ingerit, non labatur.

Coroll. Ex his jam patet, quid supernaturaliter, quid naturaliter, quid denique moraliter possibile dicendum sit. Nempe *supernaturaliter* possibile est, quidquid absolute non repugnat, tametsi naturæ viribus superius sit. *Naturaliter* possibile est, quod naturæ vires non excedit. *Moraliter* denique possibile est, cui nec difficultas quidem *ingens* est adjuncta.

§. II.

An præter externam rerum possibilitatem interna etiam admittenda sit?

Ii, qui possibilitatis partitionem in internam, & externam rejiciunt, contendunt, rationem adæquatam, & sufficientem, ex qua intelligi queat, cur quidpiam existere possit, esse hanc unice, quod Deus sit omnipotens, ac proinde illud procreare possit: alii contra tenent, dictam rationem sufficientem partim in Omnipotentia Dei sitam esse, partim vero in ipsis rebus contineri quatenus nempe hæ ab omni notarum suarum pugna, & contradictione liberæ sunt, atque ita sunt aptæ ad existendum.

21 Propositio. Præter Omnipotentiam Dei, tanquam externam rerum possibilitatem, interna etiam admittenda est, consistens in ipsa notarum rem intrinsecus constituentium concordia. *Prob.* Ratio sufficiens, cur e. g. polygonum quadratum possit à Deo produci, non item

circulus quadratus, non intelligitur plene intellecta sola Omnipotentia Dei: ex adverso idem plene intelligitur, si primum subeat mentem, in polygono quadrato adesse concordiam notarum, ac proinde internam quandam ad existendum aptitudinem, circulum vero quadratum plenum esse contradictionis, tum cogitemus, ad Dei omnipotentiam pertinere quidem, ut exporrigi possit ad ea omnia producenda, quæ ad existendum apta sunt, non tamen ad illa etiam, quæ vitio suo inepta sunt ad existendum: ergo ratio sufficiens, cur e. g. polygonum quadratum à Deo produci possit, non item circulus quadratus, consistit in omnipotentia Dei, & simul in concordia notarum rem intrinsecus constituentium, quæ reperitur in polygono quadrato, non item in circulo quadrato. Sed si ita; præter omnipotentiam Dei &c.

Quod autem ratio sufficiens, cur e. g. polygonum quadratum possit à Deo produci, non item circulus quadratus, non intelligatur plene intellecta sola omnipotentia Dei, sic declaro. Si intellecta sola omnipotentia Dei plene intelligeretur, cur polygonum quadratum possit à Deo produci, non item circulus quadratus; ratio discriminis hujus unice in Deo quærenda esset, & ab ipsa rerum natura nullo modo penderet: ergo dicendum esset, discrimen illud oriri ex quadam imbecillitate, & limitatione Divinæ potentiæ; unde enim secus oriretur? atqui in Deo nulla potest fingi imbecillitas, nulla limitatio: ergo dicta ratio sufficiens nequit plene intelligi intellecta sola omnipotentia Dei.

Coroll. Igitur rerum possibilitas adæquate sumta internam simul, & externam complectitur: id est, concordiam notarum rem intrinsecus constituentium, & omnipotentiam Divinam.

Schol. Dum hoc, aut illud aimus esse possibile, solemus abstrahere mentem ab ejus externa possibilitate, solamque internam potissimum intelligimus: id enim, quod interna possibilitate gaudet, externam quoque habet, in omnipotentia Divina sitam. Hinc evicturi quidpiam esse possibile, contenti sumus, si ostendamus nullam in eo contineri contradictionem: quemadmodum contra, tunc rei cujuspiam impossibilitatem detegimus, quum ejus notarum pugnam in lucem protrahimus. Quod quia Adversarii quoque in more habent, vel inviti sane palam faciunt, non in sola omnipotentia Dei sitam esse adæquatam rerum possibilitatem. Porro circumspectione utendum est, si de rei cujuspiam possibilitate, aut repugnantia ferendum sit judicium. Ac imprimis res non est dicenda *metaphysice* impossibilis, nisi ejus notas inter se pugnare, perspicue videamus. Deinde dispiciendum, annon ipsa rerum adjuncta rem impossibilem reddant, quæ ceteroquin natura sua non repugnat. Denique cum omnes naturæ vires nobis perspectæ non sint, cavendum cumprimis est, ne aliquid ex eo capite existimemus naturæ viribus esse superius, quod non pervideamus, qua id ratione natura efficere possit. Quodsi tamen certum fuerit, quidpiam cum iis naturæ legibus, quæ adhuc detectæ, nobisque notæ sunt, prorsus non cohærere; id *physice* impossibile esse, tuto concludemus.

22 *Obj.* 1.*mo* Sublata omnipotentia Dei, ipsa etiam rerum possibilitas tolleretur; ergo adæquata rerum possibilitas in sola Dei omnipotentia sita est. *Prob. ant.* Sublata omnipotentia Dei nequiret fieri, ut res ulla

existat ; ergo sublata omnipotentia &c.

℞. *D. ant.* Ipsa etiam rerum possibilitas *externa* tolleretur. *C. ant. interna* tolleretur *N. ant* & *cons.* Certe etiam in impossibili illa hypothesi res secundum se duntaxat spectatæ notarum suarum concordiam retinerent, ac proinde intrinsecus possibiles essent.

Ad prob. *D. ant.* nequiret fieri, ut res ulla existat, idque defectu solum causæ effectricis *C. ant.* Idque defectu suæ aptitudinis ad existendum *N. ant.* & *cons.* Res existere non potest, nisi habeat sufficientem existentiæ suæ rationem: hanc autem in dicta hypothesi habere non posset, tametsi maneret intrinsecus possibilis, quia non adesset causa, quæ rem, etiam aptam ceteroquin ad existendum, ex nihilo condere posset.

Urg. 1. Res, quæ ponuntur esse possibiles, sublata omnipotentia Dei quodpiam attributum suum (*Log.* 18.) amitterent ; ergo redderentur omni ex parte impossibiles : sed si sic, adhuc adæquata rerum possibilitas in sola Dei omnipotentia sita est; ergo. *Cons.* 1. certa est ; amisso enim quopiam attributo, necesse est amitti etiam essentiam ; hac vero amissa reddi rem omni ex parte impossibilem, ut ex sequ. cap. uberius elucescet. *Ant.* vero *prob.* Inter cetera rerum attributa est dependentia à Deo; atqui hanc in adsumpta hypothesi amitterent : nam sublata Dei omnipotentia, Deum ipsum tolli necesse foret ; si autem ille tolleretur, nulla res ab eodem dependere posset : ergo res, quæ ponuntur esse possibiles &c.

℞. *N. ant.* Ad prob. *D. maj.* Inter cetera rerum attributa est dependentia à Deo ; in hoc consistens, quod ipsam notarum suarum concordiam à Deo habeant *N. maj.* dependentia à Deo in hoc consistens quod si forte res existerent, suam, existentiam à Deo nancisci deberent *C. Maj. Min.* vero simpliciter *N.* Nempe imprimis res non à Deo, sed ex se ipsis habent, quod nullam involvant repugnantiam : igitur dependentiam à Deo, primo sensu acceptam non amitterent ; quia ea constrictæ nunquam erant. Deinde res dependent quidem à Deo sensu altero ; at neque hanc dependentiam, quæ, ut patet, hypothetica est, amitterent : etenim etiam in adsumpta hypothesi vere de iis diceretur, quod, si existerent, suam existentiam à Deo nancisci deberent.

Urg. 2. Res non possunt ex se ipsis habere suarum notarum concordiam, verum eam á Deo sortiantur, oportet ; ergo sublata Dei omnipotentia, nulla posset in rebus concipi notarum concordia ; adeoque adhuc sublata Dei omnipotentia, res omni ex parte redderentur impossibiles. *P. ant.* Omnis rerum perfectio á Deo est; sed dicta notarum concordia est perfectio : ergo etiam illa á Deo sit, oportet.

℞. *N. A.* Ad prob. *D. maj.* Omnis rerum perfectio: quæ *physice* est aliquid, existitque, à Deo est *C. maj.* quæ physice nihil est, sed esset tantum, si produceretur, à Deo est *N. maj. D.* etiam *min.* Sed dicta notarum concordia est perfectio, quæ aliquid est, existitque, priusquam res à Deo producatur *N. min.* est perfectio, quæ nihil est in se *physice*, sed solum esset, si res à Deo produceretur *C. min.* & *N. cons.*

Omnis rerum perfectio, quæ existit *physice*, à Deo omnino est ; at dicta notarum concordia in rebus mere possibilibus *physice* nihil omnino est, sed esset solum, si produceretur : unde non est *absolute* dicendum, quod à Deo sit ; sed

solum, quod esset à Deo, si produceretur.

23 *Obj. 2.do* Ab æterno datur adæquata rerum possibilitas; sed nihil datur ab æterno præter Deum; ergo solus Deus est adæquata rerum possibilitas.

℞. *D. maj.* Ab æterno datur adæquata rerum possibilitas partim *physice*, partim *logice C. maj.* omni ex parte *physice N. maj. D.* etiam *min.* sed nihil datur ab æterno præter Deum *physice C. min. logice N. min.* & *cons.*

Adæquata rerum possibilitas, ut ex hactenus dictis clarum est, complectitur internam, & externam simul. Interna solum *logice* dabatur ab æterno; quatenus ab æterno verum erat dicere, notas, quæ rem intrinsecus constituunt, concordare, ac proinde rem illam natura sua aptam esse ad existendum: at externa, quæ est ipsa Dei omnipotentia, *physice* omnino, & reapse ab æterno datur. Hinc si possibilitatem rei sumas adæquate; illa partim logice, partim physice dabatur ab æterno.

Urg. Ne *logice* quidem potest esse quidquam æternum præter Deum; ergo adhuc, si adæquata rerum possibilitas æterna est, ea in sola Dei omnipotentia sita sit, oportet. *P. ant.* Ne logice quidem potest esse quidquam omnipotens præter Deum; ergo similiter. *Prob. cons.* Ideo primum, quia omnipotentia est perfectio infinita: sed etiam æternitas est perfectio infinita; ergo si nihil potest esse logice omnipotens præter Deum, neque potest esse quidquam logice æternum præter Deum.

℞. *N. ant.* Ad prob. *C. ant. N. cons.* Ad hujus prob. *D. maj.* Ideo primum *duntaxat*, quia omnipotentia *in statu physico* est perfectio infinita *N. maj.* ideo præterea, quia ens illud, quod esset *logice* omnipotens, deberet esse etiam physice omnipotens, si ad existentiam perveniret *C. maj. Dist.* etiam *min.* Sed etiam æternitas *physica* est perfectio infinita; id tamen, quod logice æternum est, non debet esse physice æternum, si ad existentiam perveniat *C. min.* secus *N. min.* & *cons. Logica* omnipotentia reapse non aliud significat, quam *possibilis* omnipotentia, ita ut esse ens logice omnipotens tantundem significet: ac, esse possibile ens, quod, si existentiam nanciscatur, reapse etiam sit omnipotens. Cum ergo nihil possit esse reapse in statu physico omnipotens præter Deum; clare patet ratio, cur ne logice quidem possit quidquam esse omnipotens præter Deum. Contra dum internam rerum possibilitatem vocamus *logice* æternam, non aliud volumus significare, quam ab æterno verum esse, quod res illæ nullam in se complectantur contradictionem. Quod adserendo profecto non adfirmamus, possibile esse quodpiam ens præter Deum, quod in statu physico debeat esse æternum; ac proinde nihil absurdi admittimus: ubi enim res illæ, de quibus ab æterno verum erat dicere, quod non contineant in se contradictionem, producerentur, initium existendi haberent; atque adeo æternitate physica soli Deo propria, non gauderent. Unde patet, disparem rationem ab ipsa vocabulorum *logice omnipotens*, & *logice æternum* usurpatione longo usu firmata pendere.

24 *Obj. 3.tio* Si sola Dei omnipotentia non esset sufficiens ratio, cur res existere possint, sequeretur, Deum ad res creandas opus habere aliquo à se distincto, nimirum interna earum possibilitate; atqui hoc videtur esse absurdum; ergo sola Dei omnipotentia est ratio sufficiens, cur res existere possint.

R. D. *maj.* Sequeretur, Deum ad res creandas opus habere aliquo à se distincto, quod sit purus *terminus* actionis Divinæ C. *maj.* à quo Deus in rebus condendis adjuvetur, aut ad eas condendas determinetur N. *maj. sic dist. min. N. cons.*

Imprimis Deus nullo indiget adjutore in rebus condendis: sua unius virtute efficere potest, quidquid aptum est ad existendum. Deinde neque ulla perfectione rebus interna determinatur ad eas procreandas, ut innuimus N. 14. Quod autem actionis suæ terminum habere debeat, ita, ut non possit condere quidpiam, nisi illud productionis, & existentiæ capax sit, mirum videri non debet. Nam utique neque scire potest, nisi quod, ut ita dicam, *scibile* est; quin tamen propterea ulli in mentem incidat, hinc aliquid minus conveniens in omniscientiam Dei redundare.

CAPUT TERTIUM.

De entis essentia, existentia, attributis, & modis.

25 Vocabulo *entis* venire solet quidquid existit, vel existere potest. Unde dividitur ens in *actuale* sive existens, & *potentiale* sive possibile. *Non ens est*, quod contradictionem in se complectitur, ut circulus quadratus.

26 Id, quod reapse est, aut esse potest aliquid, nuncupatur *ens positivum*, ut terra, aqua &c. quod vero non nisi in mente nostra potest existere, *ens rationis* dicimus, ut sunt genus, species. Ipsa demum positivi cujuspiam entis inopia, quam quasi instar entis solemus concipere, *ens privativum* nominatur, ut tenebræ, ignorantia.

27 In ente quolibet id venit *essentiæ* nomine, per quod illud est id, quod est, & non aliud, ut adeo in ente nihil prius concipi possit ejus essentia.

Coroll. 1. Igitur ea, quæ ipsam essentiam entis constituunt, in eodem *à priori* demonstrari non possunt. Hinc ridiculus eris, si quæras, e. gr. cur homo sit animal rationale.

Coroll. 2. Quidquid in ente *à priori* deduci potest, seu quidquid ex aliqua ejus nota suapte fluit, & derivatur, id ad entis illius essentiam non pertinet. e. g. In homine vis ridendi promanat ex vi sentiendi, & ratiocinandi: vis igitur ridendi hominis essentiam non constituit.

Schol. Essentia entis dicitur etiam *ratio formalis* ejusdem; quod nimirum illa, quasi *forma* (*Log.* 23. *Schol.*) denominet ens esse id, quod est.

28 Propositio I. Cujuslibet entis essentia sita est in concordia omnium earum notarum, quæ in eo ente primæ occurrunt, suntque veluti fontes ceterarum. *Prob.* Essentia cujuslibet entis est id, per quod illud est id, quod est (*præc.*); seu est *ratio illa formalis*, qua intellecta ens illud intelligitur esse id, quod est, & qua non intellecta illud non intelligitur esse id, quod est: atqui intellecta omnium earum notarum concordia, quæ in ente quopiam primæ occurrunt, suntque veluti fontes ceterarum, illud intelligitur esse id, quod est, illa vero non intellecta non intelligitur; ergo cujuslibet entis &c.

Minoris 1. *memb.* probatione vix eget; alterum etiam sat clarum est: nam imprimis nisi omnes ejusmodi notæ in ente quopiam intelligantur, ens illud non satis discernitur ab omni alio, ab eo nimirum, cum quo convenit quidem in iis notis, quas eo casu

amittit, sed existere duntaxat desinit.

31 Si ens ita existat, ut ipsa ejus essentia contineat sufficientem existendi rationem, dicitur *existere à se*; sin autem hanc in essentia sua non complectatur, *existit ab alio.* Sic Deus existit *à se*, cetera vero omnia existunt *ab alio.*

Coroll. Igitur ut id, quod *ab alio* existit, intelligatur *existere*, non sufficit ejus essentiam n. 28. definitam intelligere; sed ad hanc quoddam, ut Wolffius nominat, *complementum possibilitatis* accedat, oportet, quo id, quod tantum possibile erat, aptum sit ad agendum quidpiam, vel patiendum.

32 Forma illa, quæ enti cuipiam denominationem *existentis* tribuit, *existentia* nuncupatur. Porro tametsi neminem lateat, quid rerum *existentia* sit; eam tamen dilucide explicare, ut ipsis etiam perspicacioribus plene satisfiat, arduum omnino est; propterea, quod nequeamus satis adsequi, quid sit ex nihilo aliquid condi, è statu meræ *possibilitatis* ad statum, ut vocant, *actualitatis* transferri &c. ut adeo id in existentiam quoque quadrare videatur, quod S. August. *l.* 11. *Confess.* ait de tempore; " si nemo ex me quærat, inquit, scio; si quærenti explicare velim, nescio. " Id agnoscendum est, essentiam hoc ipso solum, quod producta sit, jam esse existentem: nam hoc ipso solum jam plus est, quam pure possibilis. Hinc autem consequitur, existentiam ab essentia *actuali* re ipsa non distingui. Si enim essentia hoc ipso solum, quod producta sit, jam sit existens; clarum est, tunc dari jam existentiam, tametsi præter essentiam nihil omnino sit productum.

Coroll. 1. Essentia *actualis*, *intelligibilis*, & *pure intelligibilis* reapse idem sunt, & nonnisi statu differunt (29). Cum ergo existentia non aliud sit, quam essentia actualis; existentia quoque re ipsa eadem est cum essentia, quæ prius pure intelligibilis erat, & ab ea nonnisi statu suo actualitatis differt.

Coroll. 2. Cum essentia actualis, seu existentia ab essentia intelligibili statu differat; non omnia verificantur de existentia, quæ de essentia intelligibili, & vicissim. Sic tametsi essentia intelligibilis sit necessaria, immutabilis, & æterna (30); existentia tamen entis creati contingens, mutabilis &c. est.

33 Quæcumque in ente præter ejus essentiam insunt, vel necessario promanant ex essentia, ut abesse nequeant, vel persistente entis essentia adesse aut abesse possunt. Illa *attributa*, hæc *modi* nuncupantur.

Coroll. Posita essentia, attributa quoque poni necesse est, ut adeo quemadmodum essentia, ita etiam attributa sint *logice* necessaria, immutabilia, æterna. Cum enim attributa necessario promanent ex essentia, ratio sufficiens attributorum continetur in essentia: posita autem ratione sufficiente, id quoque poni necesse est, cujus est ratio sufficiens (12. *Coroll.* 2.)

34 Propositio III. Quinam modi possint innesse in ente, ex hujus essentia, tamquam ex ratione sufficiente intelligi potest: ratio tamen sufficiens, cur hic, aut ille modus reapse insit in ente, in hujus essentia non continetur. Ratio 1.*mi* est. Nam omnis ille modus inesse potest enti, qui cum ejus essentia cohæret, nullus autem, qui cum essentia non cohæret: atqui ex essentia utique intelligitur, quinam modi cum ipsa cohæreant, qui non item; ergo. Ratio 2.*di* est. Si enim ratio sufficiens, cur hic, aut ille modus reapse insit in ente, in hujus essentia continere-

mente repræsento, in aliis tamen non convenit. Deinde nisi intelligatur earundem notarum concordia; id, cujus deberent esse notæ illæ, non intelligitur esse *ens*: ergo neque intelligitur esse id, quod est.

Coroll. 1. Igitur notæ illæ, quæ primæ in ente occurrunt, suntque veluti fontes ceterarum, jure nominantur *essentiales*, item *characteristicæ* (*Log.* 18.).

Coroll. 2. Illud ens, cujus omnes notas characteristicas non habemus perspectas, neque completa definitione exprimere, neque ab omni alio ente, saltem possibili, rite discernere possumus.

Schol. Cartesiani cujuslibet entis essentiam in unica duntaxat ejusdem proprietate, seu nota constitutam volunt, ex qua reliquæ omnes profluant, ipsa vero ex nulla alia derivari possit. At istud universe verum non est: multa enim sunt entia, quorum essentia non unica, sed pluribus characteristicis notis definitur.

29 Dicta notarum concordia, si ita consideretur, ut menti non reluceat, existatne reapse, an tantum apta sit ad existendum, vocatur *intelligibilis*; propterea, quod per eam *intelligatur*, quid ens sit. Essentia *actualis* est, quæ non est pure possibilis, ita, ut non intelligatur essentia esse actualis, nisi intelligatur esse in statu physico. Denique si essentia non existat, sed apta tantum sit ad existendum, *pure intelligibilis* nuncupatur. Porro quando *essentia* absque omni addito nominatur, eo vocabulo essentia intelligibilis designari solet: de qua etiam sequens Propositio est intelligenda.

30 Propositio II. Cujuslibet entis essentia est 1) necessaria, ita, ut nullum ens possit amittere suam essentiam: 2) est immutabilis: ita, ut aliter, atque est, esse non possit: denique 3) est æterna. *Ratio 1mæ. partis est.* Cum enim cujuslibet entis essentia sita sit in concordia suarum notarum characteristicarum (*præc.*), tunc amitteret ens essentiam suam, si concordia dictarum notarum abiret in pugnam earundem, seu in contradictionem; atqui istud fieri non posse, clarum est; quemadmodum fieri non potest, ut pugna notarum abeat in earundem concordiam, seu ut ex *impossibili* fiat possibile; ergo cujuslibet entis essentia est necessaria, ita ut nullum ens possit suam essentiam amittere.

Ratio 2.dæ partis est. Ponamus enim essentiam, e. g. entis A duabus characteristicis notis *b* & *c* constare. Tunc mutaretur essentia entis A, si fieret, ut illa vel prorsus aliis, quam modo nominatis notis definiatur; vel si retenta una nota e. g. *b*, alteram amitteret; vel denique si retentis notis recensitis, aut saltem earum alterutra, novam præterea notam characteristicam, unam, aut plures adipisceretur; atqui nihil horum fieri potest: quidquid enim horum fieret, nova illa essentia jam non esset essentia entis A, sed novi cujuspiam entis; fere quemadmodum nihil addi, vel demi potest numero ternario, quin illico desinat esse idem numerus.

Ratio denique *3.tii est.* Nam concordia notarum, cujuspiam entis essentiam constituentium nec cœpit aliquando esse, neque etiam desinet; ergo est æterna. *Ant.* patet. Si enim concordia illa cœpisset aliquando; pugna notarum commutata fuisset in earundem concordiam: si autem aliquando desineret; concordia abiret in pugnam, & contradictionem: quod utrumque absurdum utique est.

Schol. Dum e. g. lignum in cineres convertitur, illud essentiam suam sensu Propositioni contrario non

tur; modus ille ab essentia abesse prorsus non posset (12. *Cor.* 2.), ac proinde contra hypothesim non esset modus, sed attributum (*præc.*)

Coroll. 1. Cum ex essentia entis intelligatur, quinam modi inesse possint in ente; possibilitas modorum pro attributo entis habenda est.

Coroll. 2. Ratio sufficiens, cur hic, aut ille modus insit in ente, neque in attributis potest reperiri. Cum enim posita essentia poni debeant etiam attributa (*præc. cor.*), si ratio sufficiens, cur hic aut ille modus insit in ente, contineretur in attributis, posita essentia poneretur etiam ratio illa sufficiens; ac proinde id genus modus ab ente abesse prorsus non posset.

Schol. Etsi intellecta essentia, attributisque humanis non illico intelligamus, cur aliquis hoc, vel illud determinate velit, aut nolit; quia tamen humana voluntas libertate prædita est, ita ut ab ente quopiam externo ad hoc, vel illud eligendum, aut rejiciendum determinari non debeat, ridiculum esset causam sufficientem volitionum, nolitionumque humanarum (quæ modi quidam animæ sunt) extra hominem ipsum quærere (14. *Schol.*) At in entibus aliis, quæ libertate carent, modi saltem remote ex alio ente dimanant. Si enim in se ipsis possent sufficientem modorum suorum rationem continere; concipi nequit, cur unumquemque modum sibi congruentem, cum vi libere eligendi carere ponantur, non constanter habeant.

CAPUT QUARTUM.

De entis unitate, identitate, & distinctione.

35 Quid unum sit, per se clarius intelligitur, quam oratione possit explicari. Si tamen aliqua definitio adferenda est, dici potest: *unum* esse quiddam, quod non est divisum in plura ejusdem secum denominationis e. g. Lapis est *unus* eo ipso, quod non sit divisus in plures partes, quarum unaquæque denominatione *lapidis* gaudeat: quodsi vero in partes dividatur, jam non erit unus lapis, sed plures.

Coroll. 1. Igitur divisio entis in plura diversæ denominationis non obest ejusdem unitati. Sic acervus lapidum est unus acervus, tametsi in plures lapides divisus sit, modo in acervos plures non dividatur.

Coroll. 2. Eadem res diverse considerata potest esse & una, & multiplex. Sic acervus lapidum est unus acervus, sed non unus lapis.

Schol. e. g. Petrus non est unus leo, tametsi non sit divisus in plures leones. Quippe esse unum leonem *supponit* esse leonem; quod tamen Petro non convenit. Contra idem Petrus est unus homo; cum & homo sit, & in homines plures divisus non sit.

36 Quodlibet *unum* vel simplex est, ita, ut ne possit quidem in partes discerpi, ut Deus, Angelus, Anima hominis; vel partibus constat, in quas dividi queat, ut homo in corpus, & animam: lapis in alios minores lapides. Unum, quod in partes dividuum est, dispescitur in unum *per se*, & unum *per accidens*. *Unum per se* dicitur, cujus partes natura

sua tendunt ad eam coagmentationem. Sic homo constans corpore, & anima est unum *per se*. Unum *per accidens* ex adverso est, cujus partes ad eam coagmentationem natura sua non tendunt. e. gr. Acervus lapidum temere congestorum est unum *per accidens*.

Schol. Unitas hactenus explicata solet nuncupari unitas *numerica*; propterea, quod *numerus* è pluribus hujusmodi unitatibus coalescat.

37 *Identitas* est summa unitas, idemque sonat, ac: *eadem entitas*. Quare identitas consistit in unitate essentiæ.

Coroll. Igitur duo quæpiam *esse idem*, seu, ut dici solet, *inter se identificari* non aliud est, quam illa esse unius ejusdemque essentiæ.

38 Identitas dividitur I. in realem, & formalem. *Realis* inter illa datur, quæ licet à nobis ut duo concipiantur, in se tamen eandem habent essentiam. Sic in homine facultas cognoscendi, & voluntas sunt *realiter* idem: cum tam hæc, quam illa in se sit eadem simplex, & individua anima nostra. Identitate *formali* cum eo dicitur quidpiam idem, quod in ipsa idea sui continet, atque adeo sine quo ne concipi quidem potest. e. g. Homo cum animali rationali etiam *formaliter* idem est; cum non possit vera hominis notio efformari, quin eam ingrediatur *animal rationale*.

39 II. In adæquatam, & inadæquatam. *Adæquata* eorum est, quorum unum nihil complectitur, quod non insit in alio. e. g. Adæquate idem est homo cum animali rationali: totum quodlibet cum omnibus suis partibus simul sumptis. *Inadæquata* inter illa datur, quorum unum continet aliquid, quod non reperitur in altero. Sic totum quodvis cum unaquaque parte sua non nisi inadæquate idem est: e. g. homo cum corpore suo.

40 III. Dividitur identitas in puram, & mixtam. Identitas *pura* eorum est, quæ ita sunt unius naturæ, ut nec in aliquo alio distinguantur. Eorum autem identitas *mixta* est, quæ tametsi ejusdem naturæ sint, simul tamen in aliquo alio distinguuntur. In creatis omnibus identitas est *pura*: at in adorando Trinitatis Mysterio identitas naturæ Divinæ *mixta* est distinctione Personarum. Sed de hac agere Theologorum est.

41 Identitas realis mutua omnino est. Si enim A eandem habet essentiam cum B; fieri nequit, ut B vicissim eandem cum A essentiam non habeat. Contra non omnis identitas *formalis* est mutua. Sic homo est *formaliter* animal, quatenus non potest hominis notio haberi, quin simul concipiatur animal; animal tamen non est vicissim *formaliter* homo, cum possit concipi animal, quin de homine cogitetur.

Schol. Quorum una, eademque est essentia, dicuntur esse *eadem numero*: quæ vero non eandem, verum similem duntaxat essentiam habent, dicuntur *eadem specie*. Sic Petrus, & Paulus sunt iidem specie humana. At facile patet, hanc identitatem specificam, non tam identitatem, quam similitudinem essentiæ dicendam esse. Alia etiam identitatis minus propria usurpatio notanda est. Nempe communiter censetur res manere eadem, tametsi reapse alia semper, atque alia succedat; modo ea successio sensibus nostris subducatur. Sic "nemo nostrum idem est in „senectute, inquit Seneca *ep.* 58. „qui fuit juvenis: nemo est mane, qui fuit pridie." Quia tamen hanc in corpore nostro successionem continuam non advertimus; idem cor-

pus nos constanter habere existimamus.

42 *Distinctio* est opposita identitati; seu est illa entium adfectio, qua unum eorum non est aliud. Hinc quemadmodum illa sunt *idem*, quorum una est essentia (37. *Cor.*), ita ea, quorum diversa est essentia, *distincta* sint, oportet.

43 Distinctio alia est realis, alia rationis. *Realis* est inter illa, quorum unum reapse, & citra omnem cogitationem nostram distinguitur ab alio. e. g. In homine corpus ab anima *realiter* distinguitur. Distinctio *rationis* existit, cum in una eademque re plura concipiuntur, quæ reapse unum idemque sunt. e. g. In eodem homine vis sentiendi à vi ratiocinandi non nisi cogitatione nostra secernitur.

44 Distinctio realis I. dividitur in adæquatam, & inadæquatam. *Adæquate* distinguuntur, quæ ne inadæquate quidem sunt idem, ut corpus, & anima. *Inadæquata* distinctio in iis reperitur, inter quæ inadæquata identitas intercedit. Sic homo à corpore suo inadæquate solum distinguitur.

45 II. In positivam, & negativam. *Positiva* est, quæ intercedit inter entia *positiva* (26), & quidem *actualia* (25); e. g. inter hanc mensam, & hunc librum. *Negativa* est pura negatio identitatis; quæ proinde habetur etiam inter entia *privativa* (26), e. g. inter ignorantiam, & cæcitatem.

Schol. Distinctio illa, quæ intercedit inter ens, & ejus modum, e. g. inter ceram, & ejus rotunditatem, *modalis* nuncupatur. Quam quidem distinctionem esse realem, facile patet. Cum enim idem à se ipso separari non possit; ea, quorum unum ab altero separari potest, reapse distincta sint, oportet: jam vero ens à modo suo e. g. cera à rotunditate separari utique potest, hoc nimirum sensu, quod existere possit cera, quin sit rotunda; modalis ergo illa distinctio, quæ e. g. ceram inter, & ejus rotunditatem intercedit, realis sit, est necesse.

CAPUT QUINTUM.

De entis veritate, ordine, & perfectione.

46 De illa veritate hic nobis sermo est, quæ *metaphysica* solet nuncupari. Est autem metaphysice verum omne id, quod principiis contradictionis, & rationis sufficientis est consentaneum. Unde patet, omne ens gaudere sua veritate metaphysica. Nam imprimis omne ens eo ipso, quod possibile sit, à contradictione liberum est, ac proinde cum principio contradictionis congruit (7. *Schol.*) Deinde quoniam nihil est, nec esse potest sine ratione sufficiente (12), quodlibet ens congruit etiam cum principio rationis sufficientis.

47 *Ordo* est similitudo quædam relucens in modo, quo res aut juxta se se collocantur, aut sibi succedunt: defectus vero ordinis *confusio* nuncupatur. e. g. In bibliotheca adest ordo, si in librorum distributione ratio fuit habita eorundem magnitudinis, formæ, argumenti &c. Contra vero confusio regnat in bibliotheca, in qua libri temere commixti reperiuntur.

48 Id, in quo ratio sufficiens ordinis sita est, *regula ordinis* nuncupatur. Nempe in quovis rerum ordine adest quidpiam, in quo res illæ sibi consentiant, ac proinde in quo sufficiens ordinis ratio sit

constituta. e. g. Sit in bibliotheca quæpiam arca, quæ libros ejusdem argumenti contineat, e. g. meros mathematicos; ordo librorum hujus arcæ in eo consistet, quod idem omnes argumentum contineant: quare *regula ordinis* erit argumentum librorum.

49 Ordo dispescitur in simplicem, & compositum. *Simplex* est, qui unicam duntaxat regulam habet: *compositus*, in quo plures ejusmodi regulæ reperiuntur. e. g. Si arca quæpiam contineat libros diversæ quidem magnitudinis, formæ, &c. sed tamen omnes idem argumentum pertractantes; unica regula ordinis adest, atque adeo librorum ordo simplex est. At si ex ea librorum collectione præterea secernantur ii, qui ejusdem magnitudinis sunt, inque arca distincta reponantur; jam in altera hac arca librorum ordo compositus erit: duabus enim pollebit regulis; videlicet argumento, quod pertractatur, & magnitudine librorum.

Coroll. 1. Facile cuique patet, eo concinniorem fore ordinem, quo plures id genus regulas habuerit.

Coroll. 2. Omnia, quæ in hac rerum universitate reperiuntur, in eo conveniunt, quod sufficientem sui rationem habeant (12); igitur aliquam regulam ordinis; ac proinde etiam ordinem habent.

Schol. Ordo iste rerum existentium est præcipuum illud criterium, quo somnia, vel illusiones sensuum vigilantibus nobis evenire solitas, à rebus reapse existentibus discernimus. Nempe ejusmodi ludificationes ex eo internoscimus, quod pateat, in his hiare ordinem paulo ante commemoratum: cum, si ea, quæ aut per somnium, aut per illusionem sensuum præsentia nobis videntur, reapse existerent, non posset servatis naturæ legibus sufficiens ratio adesse, cur subito dispareant, in res alias convertantur &c.

50 *Perfectum* in genere dici potest omne id, quod ita comparatum est, ut præstituto fini assequendo sufficiat. e. g. Horologium perfectum est, si partes ejus ita conjugatæ sint, uti necessarium est ad præstitutum sibi finem, seu accuratam horarum designationem.

Coroll. Igitur generatim entis *perfectio* est ejusdem ad præfixum sibi finem habilitas.

51 Finis ille, ad quem habile est ens illud, quod quapiam perfectione præditum est, *principium perfectionis* nuncupatur. Quodsi non nisi unicum adfuerit perfectionis principium, perfectio entis est *simplex*; *composita* vero, si plura ejusmodi principia locum habeant. e. g. Horologium ad solas horas indicandas destinatum unicum habet perfectionis principium, videlicet indicationem horarum; cui, si consentiat, perfectione simplici gaudet. Quodsi vero ipsos etiam horarum quadrantes designet; jam alterum etiam perfectionis principium adest, ejusque perfectio nuncupatur composita.

Coroll. Ex his patet, perfectionem compositam esse ipsas perfectiones simplices in ente quopiam agglomeratas.

52 Perfectio entis alia dicitur *essentialis*, *accidentalis* alia. *Essentialis* in eo consistit, quod nihil desit enti eorum, quæ requiruntur ad hoc, ut sit id, quod est. Dicitur essentialis propterea, quod, ut patet, ab ente abesse, salva hujus essentia non possit. *Accidentalis* est, quæ ab ente, salva ejus essentia, abesse potest, illudque vel ad agendum quidpiam, aut patiendum aptius reddit, vel certe exornat. Hujusmodi perfectiones. e. g. hominis

sunt: habere binos oculos integros, aures ad sonum percipiendum aptas, ceteraque membra omnia integra, firma, decora; esse scientiis imbutum, virtutibus exornatum &c.

Coroll. 1. Fieri nequit, ut aliquid sit id, quod est, nec tamen habeat omnia, quæ requiruntur ad hoc, ut sit id, quod est. Quare quidquid in hac rerum universitate reperire est, sua perfectione essentiali præditum sit, oportet.

Coroll. 2. Perfectio essentialis hactenus explicata solet etiam bonitas *metaphysica* nominari. Unde nihil est, quod bonitate metaphysica destitutum sit. Certe peccata ipsa hominum, quæ mala *moralia* dicuntur, *metaphysice* bona sunt; cum nihil eis desit illorum, quæ ad eorum essentiam requiruntur, seu ut peccata sint.

53. Usuvenit, ut entia *suo in genere* perfecta dicantur: ac istud dupliciter sumi potest. Imprimis dicitur *suo in genere* perfectum omne id, quod aptum est ad eum usum, & finem, ad quem illud à Deo est destinatum. Deinde *suo in genere* perfectum dicitur illud etiam, quod perfectionibus, quæ spectato communi naturæ cursu ipsi conveniunt, non est destitutum. Sic homo suo in genere perfectus est, si binos oculos, ceteraque membra habeat firma, rite disposita &c. Jam altero hoc sensu multa esse suo in genere imperfecta, non est, qui dubitare possit: at sensu primo quidquid in rerum natura reperitur, *in suo genere* perfectum omnino esse debet. Si enim quidpiam esset ineptum ad eum finem, & usum, ad quem à Deo destinatum est; Deus non esset perfectus rerum opifex, ut facile quisque adsequi potest.

Coroll. Igitur ea etiam, quæ perfectionibus quibusdam naturæ suæ convenientibus carent. e. g. homo cæcus, imo ipsi etiam scelerati hoc sensu *suo in genere* perfecti dici possunt. Nam & homo cæcus aptus est ad eum finem, & usum, ad quem à Deo destinatus est, & etiam peccator ad eum, ob quem peccata à Deo permittuntur; qui est, ut hominis libertas illæsa maneat, justitia, misericordia Dei manifestetur &c.

54. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, intelligi possunt ea, quæ ad *comparativam* entium perfectionem pertinent: seu ea, ex quibus definiri possit, quodnam ens altero perfectius sit. Nempe 1.*mo* Quo plura, & præstantiora sunt perfectionum principia, quibus ens consentit, eo istud perfectius est existimandum. 2.*do* Ceteris paribus illud ens alteri præferendum est, quod magis consentit cum perfectionis principio. e. g. Horologium, quod omnino accurate horas indicat, perfectius dicimus altero, in iisdem indicandis aliquantum aberrante. 3.*tio* In machinis eæ habentur pro perfectioribus, quæ minore partium adparatu constructæ eosdem cum aliis operosioribus effectus præstant.

Schol. Multa entia, quæ utroque sensu nunc explicato suo in genere perfecta sunt, dicimus *imperfecta*; propterea, quod longe minoris sint perfectionis, ac ea sint, quibuscum illa contendimus. Sic culices imperfectum viventium genus dicimus comparate ad animalia perfectiora. Imo hoc sensu creaturæ omnes imperfectæ dici possunt; cum nulla creatura sit, qua perfectiorem Deus condere non possit, ut e sequentibus patebit.

CAPUT SEXTUM.

De ente composito, & simplici; item de absoluto, & relativo.

§. I.

De ente composito, & simplici.

55 Plura, quæ simul collecta ens unum efficiunt, *partes* adpellantur: ens autem è pluribus conflatum vocatur *totum*, intellige *physicum* (*Log.* 50.). Partes aliæ sunt *essentiales*, quarum vel una ablata ipsum totum perit; aliæ *integrales*, seu quæ ad totius integritatem duntaxat pertinent. e. g. Anima pars *essentialis* est in humano composito; digitus *integralis.*

Schol. Pars, quæ aliquoties sumpta totum exæquat, *aliquota* dicitur; *aliquanta* autem, quæ sæpius repetita vel totum excedit, vel ab eo deficit. e. g. In denario numero binarius est pars *aliquota*; quia quinquies acceptus denarium exæquat: ternarius autem in eodem denario pars *aliquanta* est; si enim quater accipiatur ternarius numerus, denarium excedit; si autem nonnisi ter sumatur, ab eodem deficit.

56 Ens *compositum* dicitur, quod è partibus certa quadam ratione copulatis coalescit: ens vero *simplex* est, quod partibus caret. e. g. Homo constans anima, & corpore unitis est ens *compositum*: anima vero ejusdem est ens *simplex*.

Coroll. Omne id, quod è pluribus partibus conflatum est, *totum* nuncupatur, quare quodlibet ens compositum est aliquod totum.

57 Propositio I. Essentia cujuslibet compositi sita est in certi generis partibus, earumque certa conjugatione. *Prob.* Cujuslibet entis essentia in eo sita est, per quod illud est hoc potius, quam aliud ens (27); atqui compositum quodlibet per certi generis partes, earumque certam conjugationem est hoc potius, quam aliud compositum: nam e. g. ut compositum quodpiam dicatur horologium potius, quam aliud; è certi generis partibus certa quadam ratione copulatis conflatum sit, est necesse.

Coroll. Igitur essentiam cujuspiam compositi unus ille pervidet, qui & partes ejusdem singulas, & modum, quo hæ conjunctæ sunt, perspecta habet.

58 Propositio II. In quolibet composito entia quædam simplicia inesse debent. *Prob.* Ponamus omnem omnino partium nexum, qui in composito quopiam reperiri posset, à Deo tolli: quid enim vetat, quin possit Deus tollere id, cujus ipse Auctor esse potuit? Hoc posito: vel eo ipso in nihilum abibit compositum; vel remanebunt ex eo partes quædam prorsus dissociatæ. Primum dici nequit; secus enim, ut patet, compositum nihil fuisset aliud, quam mera collectio nexuum, quin contineretur in eo quidquam, ab ipsis nexibus distinctum; quod tamen posse fieri, quis concipiat? ergo dicendum est fore, ut ex eo remaneant partes quædam prorsus dissociatæ. Jam partes hæ imprimis inerant in composito illo: deinde eædem sunt entia simplicia, si enim essent composita, contra hypothesim non fuisset sublatus omnis in eo composito partium nexus. Igitur in adsumpto composito entia quædam simplicia inesse debent.

Schol. Vim argumenti non elides, si dicas, minimas compositorum particulas jam exordio mundi ita conditas esse, ut figura, magnitudine dis-

creparent, ac proinde simplices minime essent; atque has demum futuras superstites, si omnis nexus partium in composito dissolveretur. Nam præterquam quod hoc casu non omnis partium nexus tolleretur contra positam hypotesim; eodem modo liceret argumentari de minimis his particulis figura, & magnitudine discrepantibus: nempe nihil vetat, quin Deus tollat in quapiam id genus particula omnem eum suarum partium nexum, cum quo condita est: quo sublato vel penitus abiret in nihilum vel remanerent ex ea partes quæpiam dissociatæ &c.

59 Propositio III. Ens simplex nequit oriri, nisi ex nihilo, adeoque nisi per creationem, neque potest interire, quin abeat in nihilum. *Prob. 1.ma pars.* Secus enim deberet oriri vel ex ente quodam simplici, vel ex composito: atqui ex neutro potest. Non è simplici: ab hoc enim nihil avelli potest, quod deinde seorsim existat. At neque ex composito. Quidquid enim è composito oritur, id nova ejus partium conjugatione, translatione, aut dissociatione oriatur, oportet. Jamvero imprimis nova partium conjugatione, aut translatione non simplex ens, sed novum compositum oritur, ut clarum est: deinde si dissociatis compositi partibus ens quodpiam simplex ex eodem supersit; istud non oritur, sed relinquitur, quod jam ante in composito inerat: quemadmodum si ablatis duabus numeri ternarii unitatibus tertia remaneat, hæc oriri non dicitur, sed remanere.

Prob. altera pars. Si ens simplex ita interiret, ut tamen quidpiam ex eo etiam post interitum supersit; coaluisset ex partibus: nam imprimis illa parte debuisset constare, quam interire oportuit, ut verum sit, ens illud interiisse; deinde illa etiam, quæ ex illo post interitum superstes manere ponitur. Cum ergo ens simplex partibus careat; illud nequit interire, quin abeat in nihilum.

Schol. Ex adverso compositum & oriri posse, quin fiat de nihilo, & interire, quin prorsus in nihilum abeat, expendenti patet.

§. II.

De ente absoluto, & relativo: ubi etiam de quibusdam entium relationibus speciatim.

60 Ens *absolutum* nuncupatur, quod ab omni alio quasi solutum, & liberum est, ita, ut possit à nobis concipi, quin simul aliud ab eo distinctum concipiatur: *relativum* est, quod absque alio à se distincto concipi nequit. e. g. *Lapis* est ens absolutum; quippe de eo cogitare possum, quin simul rei alterius notio subeat mentem meam: at *servus* ens relativum est; non enim potest servi notio obtineri, quin simul de *Domino* ratione aliqua cogitetur.

61 *Relatio* est mutua relativorum ad se se habitudo: seu est illa eorundem constitutio, quæ menti nostræ occasionem præbet unum eorum cum altero conferendi. e. g. Similitudo duorum alborum parietum, relatio est. Porro quatuor sunt hoc loco cumprimis discernenda: subjectum, terminus, fundamentum relationis, & ipsa relatio.

62 *Subjectum* relationis est, quod ad alterum refertur: *terminus*, ad quem refertur: *fundamentum relationis*, vel ut alii loquuntur, *ratio fundandi* est illa ratio, ob quam subjectum ad terminum refertur: denique mutua illa relativorum ad se se habitudo, quæ intellecto subjecto, ter-

mino, & ratione fundandi intelligitur, est ipsa relatio. Sic si duo parietes albi sint, A & B; *subjectum* relationis est e. g. paries A; *terminus* paries B; *ratio fundandi* albedo utriusque parietis; *relatio* denique est ipsa eorundem similitudo

Schol. Relationem nunc definitam quidam nominant relationem *in concreto*: relatio *in abstracto* iisdem id ipsum est, quod nos fundamentum relationis nominamus.

63 Duo entia relativa, quorum unum refertur ad aliud, *relata* dicuntur. Relata, quorum quodlibet alterius terminus esse potest, *correlata* dici solent. Porro inductione (Log. 134.) facile probari potest, quamlibet relationem esse mutuam; ita, ut si adsit fundamentum ens A cum B conferendi, vicissim B cum A conferri possit. Quare cujuslibet relationis subjectum, & terminus *correlata* dici possunt. Id verum est, non in omni relatione idem nomen obvenire tam subjecto, quam etiam termino. Sic tametsi ob eandem rationem fundandi tam paries A parieti B, quam etiam iste illi similis denominetur; nihilominus e. g. eadem actio Divina, qua ex nihilo conditi sumus, Deo *Creatoris*; nobis vero *Creaturarum* denominationem tribuit.

Schol. Sunt, qui negent, ullam dari relationem, nisi in mente nostra. At certe tametsi comparatio illa, qua nos subjectum quodpiam cum suo termino contendimus, à nostra mente dependeat; ipsum nihilominus comparationis hujus fundamentum in ipsis rebus inesse, ac proinde etiam mutua quædam correlatorum ad se se habitudo citra omnem cogitationem nostram dari potest: fere quemadmodum numerus sine numerante reapse dari potest, tametsi numeratio ipsa semper ab aliquo numerante dependeat. Id negari non potest, fundamentum quarundam relationum extra mentem nostram nuspiam existere; ut cum *homo* cum *animali rationali* à nobis contenditur, istudque *definitio*, illud *definitum* nuncupatur: unde etiam relatio in *realem*, & *rationis* dispesci solet.

64 His de relatione generatim dictis ut quædam entium relationes speciatim subjici queant, definienda sunt prius qualitas, & quantitas entis. *Qualitatis* nomine venit generatim omnis id genus interna rei nota per quam respondetur ad interrogationem: *qualis sit res.* Hujusmodi notæ & dari, & etiam intelligi possunt sine ulla entis cum alio quopiam adsumpto comparatione. e. g. Quum quærenti, qualisnam sit lapis quispiam, respondeo, eum esse gravem, quadratum, politum; has ejus lapidis qualitates illico intelligit ille sine ulla lapidis ad aliud quippiam collatione. *Quantitas* est ipsa magnitudo entis: *magnitudinis* autem nomine jam multitudo partium totum aliquod efficientium intelligitur, jam volumen, seu spatium, per quod ens extenditur. Unde facile intelligitur, quid *magnum*, quid *parvum* sit. Porro quantitas ejusmodi nota est, quæ dari tantum, non item intelligi potest absque alio quopiam adsumpto. Sic si de globi cujuspiam magnitudine scisciteris; hanc tibi declarare non potero, nisi aut eum ipsum globum tibi exhibeam, aut certe mensuram aliquam definiendis voluminibus destinatam vocem in subsidium, e. g. dicendo: ejus diametrum esse duorum pedum geometricorum. Unde etiam generatim dici solet: *ad qualitatem* entis pertinere eas ipsius notas internas, quæ sine alio adsumpto intelliguntur; *ad quantitatem* vero eas, quæ sine alio adsumpto dari tantum, non item intelligi possunt.

65. Quæ eadem qualitate prædi-

ta sunt, *similia*; quæ diversa, *dissimilia* dicuntur. Item: quorum eadem est quantitas, *æqualia*; quorum diversa, *inæqualia* nuncupantur.

Coroll. 1. Eo major est duorum inter se similitudo, quo plures sunt qualitates utrique communes, & quo pauciores illæ, quibus ab invicem discrepant.

Coroll. 2. Quatenus duo cum tertio quopiam conveniunt, eatenus etiam inter se convenire debent, ut per se clarum est: quare quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se: quæ sunt similia uni tertio, spectata una eademque hujus tertii qualitate, sunt similia inter se.

Schol. Æqualitas, ut dici solet, non admittit *magis*, & *minus*. Hoc est, ex duobus entibus A, & B æqualibus eidem tertio C, A non potest esse magis, vel minus æquale enti C, quam sit B æquale eidem C. Ubi enim vel minimus excessus datur, aut defectus, ibi æqualitati continuo succedit inæqualitas. Aliter sentiendum esse de similitudine, ex hactenus dictis liquet.

66 *Connexa* dicuntur, quorum unum dependet ab altero. Porro illud ens dicitur ab altero *dependere*, in quo reperitur quidpiam, cujus ratio sufficiens in altero illo continetur. Sic res omnes creatæ dependent á Deo; cum earum existendi ratio sufficiens in Deo contineatur.

67 Si vel unum è duobus ab altero dependeat, jam duo hæc *connexa* vocamus. Sic eo ipso, quod homo dependeat à Deo, Deus, & homo *connexa* sunt. Hinc non omne id, quod cum altero connexum est, continuo dependet ab eodem. Sic in adlato exemplo Deus connexus est cum homine, ab eo tamen non dependet: homo & connexus est cum Deo, & dependet ab eodem.

68 Ens unum ab altero dupliciter potest dependere. Nempe ab eo, quod ad entis essentiam requiritur, *intrinsecus*; ab eo autem, quod solum ad existentiam ejusdem, ut alium quempiam modum necessarium est, *extrinsecus* dicitur ens dependere. Sic homo à corpore, & anima *intrinsecus*; à Deo autem *extrinsecus* dependet.

69 Si duo diversa entia ita comparata sint, ut posito uno alterum tolli necesse sit, *opposita*; sin minus, *disparata* nuncupantur. e. g. Amor, & odium ejusdem rei sunt opposita: lux, & ventus disparata.

70 Oppositorum alia dicuntur *admittere medium*, non item alia. Priora sunt, quorum uno sublato alterum poni non est necesse, ut sunt amor, & odium. Alterius generis opposita sunt, quorum uno sublato alterum poni debet. Talia sunt veritas, & falsitas in quapiam enunciatione: quippe sublata enunciationis veritate falsitatem adesse oportet, & vicissim. Atque hujus generis sunt ea, quæ sibi *contradictorie* opponuntur.

CAPUT SEPTIMUM.

De substantia, & accidente: item de subsistentia, supposito, & persona.

71 Fieri non potest, ut quodpiam ens perduret in hac rerum universitate, & tamen ea, quæ illius essentiam constituunt, aut ex his promanant, varientur (30): quare mutatio omnis, quæ in ente contingit, est mera ejusdem modorum variatio. Hæc variatio modorum *modificatio*; id vero, in quo modi mutantur, *subjectum modificationum* audit.

72 *Substantia* diverse solet à Philosophis definiri. Multi Aristotelem secuti dicunt, substantiam esse ens

per se subsistens, seu quod ita existit, ut nulli alteri enti debeat necessario inhærere, aut adhærere. Alii substantiam definiunt, esse subjectum *perdurabile*, & *modificabile*: id est, esse quiddam ejusmodi, quod saltem per tempus aliquod duret, & simul diversarum modificationum capax sit. Prior definitio latius patet posteriore: nam juxta priorem Deus ipse substantia sit, oportet, non item juxta posteriorem, cum in Eo diversæ modificationes locum non habeant. Atque altero hoc sensu sumit S. Augustinus vocabulum substantiæ, dum lib. 7. *de Trinit.* ait: Deum nonnisi abusive substantiam vocari posse. Nos ipsi vocabulum illud non aliter usurpabimus: *accidentium* vero nomine ipsas objecti notas mutabiles, harumque variationes intelligemus (*a*).

Coroll. 1. Itaque entia illa simplicia, quæ composito inesse debere os-

(*a*) *Peripatetici* (Log. 5.) *admiserunt quoddam accidentis genus, quod illi* nomine accidentis absoluti *insigniverunt. Erat autem iis accidens* absolutum, *quod tametsi servato naturæ cursu nec produci, nec existere possit extra subjectum; possit nihilominus supernaturaliter, cum sit* entitas (*ut eorum phrasi utar*) *ab* entitate *subjecti prorsus distincta. Atque pro hujusm. accidentibus habebant cognitiones nostras, actus voluntatis, colores, calorem &c. At hodierni Philosophi isthoc accidentium genus pro inani comminiscentis ingenii partu habent. Nec immerito: nam, ut alia taceam, eorum existentia nullo solido argumento evincitur; omnia substantiarum accidentia per solas earundem diversas determinationes, ac relationes apte explicari, per decursum Philosophiæ patebit: eo ipso autem id genus entitates adstrui profecto non debent, juxta vetus illud*: entia non sunt multiplicanda sine necessitate. *Præsertim cum complures earum qualitatum, quas Peripatetici* occultas *nominarunt, accidentiaque* absoluta *esse voluerunt, detectæ jam sint, deprehensæque nihil minus esse, quam accidentia absoluta, ipsorum sensu accepta; ut adeo nullum omnino id genus accidentium vestigium deprehendi hactenus in natura potuerit.*

At objiciunt. *Juxta Fidei nostræ dogma, in* Eucharistia *destructo pane, & vino remanent eorundem species, scilicet color, sapor &c. sub quibus* veraciter *continetur corpus & sanguis Christi: atqui remanentes hæ species non possunt* (*inquiunt*) *esse aliud, quam accidentia absoluta.* Rc. C. maj. N min. *Nam* species *reapse Latinis idem est, ac* adparentia: *remanent ergo* adparentiæ *panis, & vini; sub quibus omnino* veraciter *continetur corpus & sanguis Christi, quia* veraciter *corpus, & sanguis Christi est ibi, ubi* adparet *esse panis, & vinum. At num adparentiæ illæ remanentibus* absolutis *accidentibus, sensu Peripateticorum acceptis, attribui debeant, an aliter explicandæ sint, quæstio mere Philosophica est. Censent autem hodierni Philosophi, eas inde proficisci, quod Christus in Eucharistia præsens easdem dignetur actione supernaturali facere in organa nostra impressiones, quas panis & vinum naturaliter facerent, si adessent.*

Neque dicas, hinc consequens fore, ut Christus in Eucharistia nobis illudat. Nam exercendæ nostræ fidei gratia dignatur is panem & vinum dicto modo supplere, non autem, ut nos in errorem inducat. Hinc præmonet nos, ne testimonio sensuum decepti in errorem prolabamur: ut adeo, si decipiatur quispiam, vereque judicet adesse panem, & vinum, ubi non adest, id fiat per accidens, *& præter intentionem Salvatoris.*

tendimus num. 58. sunt totidem substantiæ simplices. Imo neque potest in composito quidquam substantiæ inesse præter substantias simplices: harum enim multiplex in composito nexus, cum mera notarum mutabilium, seu accidentium collectio sit, substantia dici non potest.

Coroll. 2. Omnis ergo substantia est simplex, ensque compositum potius pro collectione plurium substantiarum inter se consociatarum, quam pro substantia *una* habendum est.

Schol. Composita quædam dicuntur quidem *substantialia*; at non ideo, quasi aliquid substantiæ præter substantias simplices in iis contineretur, sed quod hæ ipsæ substantiæ simplices in compositis illis operante natura citra humanam industriam mirabiliter coalescant, certarumque naturalium affectionum principia fiant. Sic animalia, plantas &c. vocamus composita *substantialia*: contra domum, horologium &c. quæ industria artis coaluerunt, composita *accidentalia* nuncupamus.

73 *Subsistentia* est ultimum entis complementum, quo fit, ut ens illud reddatur *adæquatum* omnium suarum functionum, ac proprietatum principium. Ens per subsistentiam completum dicitur *suppositum*; quod si autem suppositum ratione præditum sit, *persona* nuncupatur.

Coroll. Igitur suppositum comparate ad personam est, ut genus comparate ad speciem. Hinc omnis persona est suppositum; at non vicissim. e. gr. Petrus est persona, atque adeo est etiam suppositum: Leo est suppositum, non item est persona.

74 Entis subsistentiam non esse sitam in sola ejusdem natura, seu essentia, evincunt fidei nostræ dogmata: quæ sola dederunt occasionem de subsistentia entis, veteribus Philosophis prorsus ignota, movendi quæstionem. Nam imprimis in Sanctissima Triade unica tantum est Natura Divina; tres tamen sunt Hypostases, seu subsistentiæ, ac proinde etiam tres Personæ: unde manifeste sequitur, in Divinis subsistentiam non esse sitam in sola natura. Deinde humanam naturam separari posse à subsistentia humana, omnino certum est. Nam in Christo præter Naturam Divinam inest etiam integra humana natura; subsistentia tamen humana in eodem non reperitur, sed sola Divina. Fidei enim nostræ dogma est, Christum unicam esse personam, eamque Divinam. Quare subsistentiam inter, & naturam humanam realis distinctio intercedit, cum ea, quæ ab invicem separari possunt, reapse distincta esse debeant. Porro ab homine ad ceteras quoque res creatas argumentum duci potest, ut facile quisque adsequitur: hinc universe concludere licet, subsistentiam inter, ac naturam entis creati realem intercedere distinctionem.

75 Divinas subsistentias expendere Theologorum est: subsistentiam vero cujuslibet entis creati ajunt communiter recentiores Philosophi consistere in *negatione unionis cum ente alio.* Sic enim ratiocinantur: eo ipso, quod ens quodpian creatum alteri unitum non sit, jam intelligitur esse *adæquatum* principium omnium suarum functionum, ac proprietatum; atque adeo intelligitur suam habere subsistentiam (73); ergo subsistentia entis creati sita est in dictæ unionis negatione.

Coroll. Igitur quilibet Angelus, homo, brutum, arbor &c. suam habent subsistentiam: at e. g. corpus, vel anima hominis, donec unita sunt, ramus arboris, priusquam ab arbore avellatur, subsistentia sua carent: qua de causa unumquodque horum,

donec dicta unio persistit, non *suppositum*, sed *pars* suppositi dici solet.

CAPUT OCTAVUM

De ente finito, & infinito; mutabili, & immutabili; necessario, & contingente.

§. I.

De notione finiti, & infiniti, item mutabilis, & immutabilis.

76 Limes, seu *terminus* id dicitur, ultra quod nihil est in re, quod quidem ad eam pertineat. e. gr. Ubi ædificii hujus partes desinunt, adsunt limites, ultra quos nihil est, quod quidem pars ejusdem sit.

Coroll. Realitas est, quod aliquid ponit in ente: igitur realitates entis ultra ejusdem limites non porriguntur. Porro realitati opponitur *defectus*: ubi ergo limites adsunt, ibi realitates cum defectibus conjunctæ sunt.

77 Limites alii sunt extensionis, intensionis alii. Quæ divisio ut rite intelligatur, ad hæc animum advertere oportet: 1.*mo* Id, quod partes extra se se positas, & saltem judicio sensuum conjunctas habet, *extensum* dicitur. Sic mensa hæc extensa est, ejus enim partes extra sese positæ, seu ita collocatæ sunt, ut una hunc, altera alterum locum occupet; & simul oculorum judicio sunt conjunctæ. 2.*do* Id, quo una qualitas alteram ejusdem speciei excedere potest, nuncupatur *gradus*. e. g. Calor duorum corporum est eadem specie qualitas: si ergo alter altero fuerit major, calores hi gradu inter se differunt. Quodsi gradus augeatur, & quodammodo multiplicetur, qualitas dicitur *intendi*. Hinc qualitatis *intensio* est quædam graduum quasi multiplicatio. His notatis plana fit adlata divisio. Nempe limites *extensionis* sunt, ultra quos extensum in occupando spatio non porrigitur: limes vero *intensionis* est, quo cujuspiam qualitatis intensio definitur.

Schol. Extensio nunc definita vocatur *formalis*: quodsi autem quodpiam ens simplex per dividuum spatium diffunderetur, ejus extensio esset *virtualis*.

78 Ens *finitum* est, quod certis limitibus definitur: id vero, quod limitibus caret, nuncupatur *infinitum*.

Coroll. Quovis ente certis limitibus definito majus quiddam concipi potest: ergo quovis ente finito majus quiddam concipi potest. Ex adverso, quoniam infinitum limitibus caret, infinito majus quiddam in eodem genere concipi non posse manifestum est.

79 Determinatam eorum, quæ enti conveniunt, consociationem nomino *statum* ejusdem entis. Hinc ajo tunc variari statum entis, dum novam quampiam notam acquirit, quam prius non habuit, aut dum amittit, quæ prius ipsi convenit. Si ea nota, quam ens acquirit, aut amittit, eidem enti interna sit, uti sunt modi; ens illud subit mutationem status *interni*: quodsi autem nota illa sit pura ejusm. relatio, qua acquisita, vel amissa nihil interne addatur enti, vel dematur; nonnisi *externus* entis status immutatur. e. g. Si quis ex rudi fiat doctus; status *interni* mutationem subit: quodsi autem Paulus in statura crescens tandem Petro nihil jam crescenti fiat æqualis: Petrus acquiret quidem denominationem *æqualis Paulo*, at nova hæc denominatio relativa nonnisi *externum* ejusdem Petri statum immutabit.

80 Ens *immutabile* nuncupamus illud, cujus status internus absolute mutari nequit: ens autem *mutabile*, cujus internus status mutari potest. Mutatio solius externi status, quoniam nihil interne addit enti, aut demit, *impropria* entis mutatio est.

§. II.

De ente necessario, & contingente.

81 Ens *necessarium* est, cujus oppositum est impossibile. Hinc quemadmodum aliud *absolute*, aliud *hypothetice* impossibile (19); ita etiam aliud est *absolute necessarium*, videlicet cujus oppositum est absolute impossibile, aliud *hypothetice necessarium*, seu cujus oppositum sub aliqua duntaxat hypothesi, quæ absolute loquendo tolli possit, est impossibile. Ajo: *quæ absolute loquendo tolli possit.* Si enim rei cujuspiam oppositum sub ejusmodi hypothesi repugnaret, quæ prorsus non possit tolli; res illa pro absolute necessaria habenda esset.

82 Ens *contingens* nominamus id omne, cujus oppositum non est absolute impossibile. Unde id, quod *hypothetice* duntaxat (intellige sub hypothesi, quæ absolute loquendo tolli possit) est impossibile, est simul contingens.

83 Propositio I. Illud ens, quod in essentia sua continet sufficientem existentiæ suæ rationem, absoluta necessitate existit: illud vero, quod sufficientem existentiæ suæ rationem in essentia sua non continet, nonnisi contingenter existit. Ratio 1.*mi* est. Nam ejusm. entis existentia nequit abesse ab ejusdem essentia (12. *Cor.* 2.) Ratio 2.*di* est. Si enim ens quodpiam non contineat in essentia sua sufficientem existendi rationem; ex ejus essentia non profluit ejusdem existentia non est ergo, cur ejus essentia nequeat esse pure possibilis (33).

Coroll. 1. Quoniam id, quod in essentia sua continet sufficientem existentiæ suæ rationem, absoluta necessitate existit, id, quod contingenter existit, sufficientem existentiæ suæ rationem in essentia sua continere non potest.

Coroll. 2. Quoniam id, quod sufficientem existentiæ suæ rationem in essentia sua non continet, contingenter existit, ens necessarium sufficientem existentiæ suæ rationem in ipsa sua essentia complectatur, oportet.

Coroll. 3. Igitur ens necessarium existit *à se*; ens vero contingens *ab alio* (31).

84 Propositio II. Ens necessarium, seu absoluta necessitate existens, nec initium, nec finem existendi habere potest, ac proinde æternum est. Id enim, quod initium existendi habet, aliquando non extitit; id vero, quod finem existendi habebit, aliquando non existet: atqui neutrum potest dici de ente necessario; enti enim absoluta necessitate existenti non existentia impossibilis utique est.

85. Propositio III. Si exstat ens necessarium, illud omnes possibiles perfectiones absque ullis limitibus complecti debet. *Prob.* Si entis necessarii perfectiones certis limitibus definitæ essent, ita, ut has præ aliis possibilibus, aut certo tantum gradu definitas complecteretur; ens illud aut à se ipso, aut ab alio quopiam ente esset dicto modo limitatum: atqui neutrum dici potest; ergo si extat ens necessarium, illud omnes possibiles perfectiones absque ullis limitibus complectatur, est necesse. *Prob. min.* Imprimis nequit à se ipso esse dicto modo limitatum.

Illud enim sufficientem omnino, eamque prorsus necessariam suarum perfectionum existendi rationem in se solo continet (83. cor. 2); ergo iis libertate sua figere limites nequaquam potest: at neque potest figere quadam necessitate naturæ. Secus enim illud haberet absolutam necessitatem carendi quibusdam perfectionibus, aut perfectionum gradibus: quæ proinde perfectiones, aut perfectionum gradus in ente necessario inesse prorsus non possent, atque adeo cum absoluta existendi necessitate omnino pugnarent. Jam vero quæ potest fingi ratio sufficiens, cur una perfectio, aut unus perfectionis gradus ita sit connexus cum absoluta existendi necessitate, ut ab ente absolute necessario prorsus abesse non possit, altera autem cum eadem absoluta existendi necessitate cohærere prorsus non posset? Cum ergo nihil sit sine ratione sufficiente; dictam limitationem ens necessarium neque necessitate naturæ potest à se ipso habere. Deinde ens necessarium eo ipso, quod à se solo existat, non dependet ab ullo ente alio; igitur ejusdem perfectionibus neque ab alio quopiam ente possunt constitui limites.

Confirmatur. Continere in se sufficientem, & necessariam existendi rationem citra omnem ab alio dependentiam, est sane perfectio quædam infinita; ergo nequit convenire ulli naturæ, nisi undequaque infinitæ: qua enim ratione posset fieri, ut ejusmodi natura, quæ cæteroquin finita sit, absoluta necessitate exigat inesse sibi perfectionem quampiam suo in genere infinitam? (*a*)

(a) *Nonnulli veritatem hujus Propositionis demonstraturi, hæc præmittunt:* 1. *Omnis realitas in se spectata possibilis est. Nam realitas est id, quod aliquid ponit in ente* (76. cor.), *ergo realitas quæcumque in se spectata non involvit ullam negationem; ut adeo omne id, quod negationem complectitur, aut defectus esse debeat, aut certe realitas cum defectu conjuncta. Porro quod nullam involvit negationem, possibile est, quia nullam continet contradictionem; omnis ergo realitas in se spectata possibilis est. Hinc* 2.do *nulla realitas in se spectata contradicit realitati alteri, itidem in se spectatæ: consequenter omnes possibiles realitates absolutæ in eodem ente componi possunt, hoc est, possibile est ens omnibus possibilibus realitatibus absolutis, præditum. Porro nequit ens esse præditum omnibus possibilibus realitatibus absolutis, nisi realitates illæ sint in ipso illimitatæ; nam omni limitata realitate major possibilis concipi potest: igitur possibile est ens omnibus possibilibus absolutis realitatibus illimitatis præditum. Denique* 3.tio *possibile hoc ens non potest esse contingens; ens enim contingens per essentiam excludit independentiam* (83. cor. 3.), *quæ certe vera realitas est: ergo ens possibile, quod omnibus possibilibus realitatibus illimitatis præditum sit, est ens necessarium. Consequenter in ente necessario reapse possibiles sunt omnes possibiles realitates illimitatæ. His præmissis sic porro ratiocinantur: si ens necessarium existit, tunc illud existit eo ipso solum, quod possibile sit* (83. cor. 2.); *ergo etiam realitates omnes, quæ in eo possibiles sunt, eo ipso solum, quod possibiles sint, in eodem existant, oportet: cum ergo in ente necessario possibile sint omnes possibiles realitates illimitatæ; si ens necessarium existit, existunt quoque in eo omnes possibiles realitates illimitatæ. Hoc est, ens necessarium omnes possibiles perfectiones absque ullis limitibus complecti debet.*

Coroll. 1. Igitur ens necessarium est infinite perfectum. Hinc quidquid finitæ duntaxat perfectionis est, ens contingens sit, oportet.

Schol. Duplex est perfectionum genus: aliæ omni defectu carent, vocanturque perfectiones *puræ*; aliæ defectu quopiam laborant, e. g. vis ratiocinandi. Primi generis perfectiones omnes absque ullis limitibus *formaliter*, ut ajunt, inesse debent in ente necessario: at alterius generis in eodem nonnisi *eminenter* inesse possunt; id est, eatenus tantum, quatenus ens illud habet perfectionem aliam, quæ perfectionis cum defectu quopiam conjunctæ vicem abunde suppleat. e. g. Vim ratiocinandi dictum ens *eminenter* continet: etsi enim duas notiones cum tertia quadam (quod facimus nos, quoties ratiocinamur) non comparet, cum id imbecillitatis cujuspiam signum sit; habet tamen vim intelligendi summam, qua omnia, quæcunque cognosci possunt, unico intuitu distinctissime complectitur.

Coroll. 2. Cum ens absoluta necessitate existens omnes possibiles perfectiones in se complectatur; se ipso beatissimum est, neque ullo ente alio eget. Liberum igitur ei est quidpiam extra se moliri, aut ab omni ente procreando se se abstinere.

86 Propositio IV. Ens necessarium immutabile est. *Prob.* Ens immutabile est, cujus status internus mutari prorsus non potest (80); atqui status internus entis necessarii mutari prorsus non potest. Quidquid enim ei inest, aliunde nequit inesse, quam vel necessitate naturæ, vel libertate. Jam ea, quæ illi insunt necessitate naturæ, variari non posse, clarum est. At neque possunt ea variari, quæ insunt libertate, quod sic declaro. Ens necessarium summe perfectum est (*præc.*); ergo ea, quæ ipsi libere insunt, summo consilio determinata sint, oportet. Eo ipso autem eadem variari profecto non possunt. Si enim ea summo consilio determinata sunt, in eorum determinatione non potuit intervenire cujuspiam rei ignoratio; ergo nulla eorundem mutandorum ratio potest enti illi unquam occurrere: temere autem, & sine ulla ratione ex quadam animi levitate, ac inconstantia mutare eadem repugnat enti infinite perfecto. Certe temeraria consiliorum variatio vel hominibus vitio verti solet.

Coroll. Cum ens absoluta necessitate existens immutabile esse debeat, quidquid mutabile est, contingenter existat, oportet.

87 Propositio V. Nullum ens contingens potest ullius entis contingentis sufficientem existendi rationem in se continere. *Ante probationem* advertendum est, duplicem subesse sensum huic e. g. enunciationi: *ratio sufficiens, cur existat A, continetur in B.* Primus iste est: posita existentia, actioneque entis B intelligitur A esse determinatum ad existendum. Atque hoc solum sensu continere sufficientem existendi rationem entis A, est eandem *laxiore* quodam sensu continere. Alter sensus est iste: connexio illa, quam habet existentia entis A cum suis principiis, seu cum iis entibus, à quibus quoquo modo pendet, ultra B non porrigitur, verum in hoc plene intelligitur terminari. Altero hoc sensu continere sufficientem entis A existendi rationem, est eandem sensu *stricto* continere. Atque hoc altero sensu usurpamus toto hoc capite *τὸ continere sufficientem alterius rationem*: priore illo sensu *laxiore* posse unius entis contingentis rationem sufficientem in altero ente contin-

gente contineri clarum est; e. g. posita fabri existentia, certaque actione intelligitur ratio sufficiens laxiore illo sensu accepta, cur solea existat potius, quam non existat. Hoc notato sic demonstro veritatem propositionis. Ponamus, si fieri potest, entis contingentis sufficientem existendi rationem nunc explicato sensu *stricto* contineri in quocunque ente contingente B. Ens B continebit sufficientem existendi rationem entis A, & simul non continebit; quod absurdum est. Continebit, ut ponitur; at simul non continebit: cum enim ens contingens B in alio quopiam ente C debeat habere sitam sufficientem existentiæ suæ rationem (83. *cor.* 1.); B non existet, nisi existat C; quodsi ergo existentia entis A ponatur dependere ab ente B, neque A existet, nisi existat C. Atqui hoc tantundem est, ac sufficientem entis A existendi rationem stricto sensu acceptam non contineri in B; ergo ens B sufficientem existendi rationem entis A non continet.

88 Propositio VI. Adsumamus seriem entium contingentium sibi succedentium, in qua ultimum ens contingens A determinetur ad existendum ab ente B proxime præcedente, istud ab anteriore C, & sic porro. Tametsi series hæc ab ultimo ejus individuo A versus anteriora progrediendo ponatur esse infinita; in ea tamen nequit *stricto* sensu contineri sufficiens existendi ratio cujuspiam entis contingentis, e. g. ultimi individui A. *Prob.* In ejusmodi serie, tametsi ea ponatur esse infinita, imprimis entia singillatim accepta non possunt continere sufficientem existendi rationem e. g. entis A; nam singula eorum ponuntur esse contingentia, in ente autem contingente nequit sufficiens alterius entis contingentis existendi ratio contineri (*præc.*) At neque omnia totius seriei entia collective sumpta possunt dictam rationem continere, quod sic declaro. Tota illa entium contingentium collectio, seu series, est contingens; ergo neque tota eorundem contingentium collectio potest dicti entis sufficientem existendi rationem continere, (*præc.*) *Prob. ant.* Unumquodque individuum ejus seriei seorsim consideratum ponitur esse contingens, ac proinde tale, quod prorsus caret absoluta existendi necessitate, imo quod natura sua directe excludit absolutam existendi necessitatem (82): quodsi ergo infinita id genus entium series non esset contingens, dicendum foret, infinitam idgenus entium seriem, quorum unumquodque prorsus caret absoluta existendi necessitate, imo natura sua directe excludit absolutam existentiæ suæ necessitatem, abire in collectionem, cui insit absoluta existendi necessitas: atqui istud adserere absurdum sane est; quemadmodum absurdum esset adserere, e. g. infinitam lapidum seriem, quorum unusquisque prorsus careat intelligendi vi, imo vim hanc natura sua excludat, constituere posse collectionem intelligendi vi præditam, aut infinitam zerorum seriem æquivalere posse quantitati positivæ, & alia id genus.

89 Propositio VII. Si extat ens contingens, extat etiam ens necessarium: istud tamen nonnisi unicum esse potest. *Prob.* 1.*ma pars.* Si extat ens contingens, extant, aut saltem extare aliquando debebant omnia ejus existentiæ principia, secus enim existeret ens contingens sine ratione sufficiente: atqui entia illa omnia nequeunt esse mera contingentia, sive distributive, sive collective accepta (*præc.*); ergo si extat ens

contingens, extare debuit aliquando quodpiam ens non contingens; seu necessarium: si autem aliquando extitit ens necessarium; profecto ex omni æternitate extitit; existit, ac etiam in omnem æternitatem existet (84): ergo si extat ens contingens, extat etiam ens necessarium.

Prob. altera pars. Si plura essent entia necessaria; singula eorum essent in rebus condendis liberrima (85. *cor.* 2.), & simul efficacissima (85.): ergo posset alterum eorum velle e. g. mundi existentiam, & hunc reapse etiam condere; alterum posset velle impedire ejusdem mundi existentiam, & etiam reapse impedire: atqui istud absurdum est; hinc enim consequeretur posse fieri, ut mundus existat, & simul non existat; ergo ens necessarium nonnisi unicum esse potest.

Si dicas, ob summam singulorum perfectionem nunquam fore, ut opposita velint; quæro: an, si e. g. duo sunt entia necessaria, utrumque eorum fuerit usum perfecta libertate sua in condendo hoc mundo, an alterutrum tantum, an neutrum? Si primum: potuit fieri, ut mundus existat, & simul non existat: quippe clarum est, non adesse summam libertatem in duobus agentibus, si opposita velle non possint. Si alterum: illud, quod libertate non uteretur in mundo condendo, ab altero quodammodo penderet; quod enti infinite perfecto, quale est ens necessarium, repugnat. Si denique tertium: mundus necessario conditus est; quod sustineri non posse, patet è *num.* 85. *cor.* 2. Stat ergo, ens absolute necessarium unicum esse oportere.

Confirmatur. Si duo, vel tria extarent entia absolute necessaria; non esset ulla ratio, cur non extent quatuor, quinque, imo infinita; atqui nemo adhuc eo dementiæ pervenit, ut ejusmodi entia numero infinita extare, serio persuasum habeat.

Schol. De ente hoc absolute necessario, quod *Deum* nominare solemus, plura expenduntur in Theologia naturali. Eorum tamen objectiones, qui ex entium contingentium existentia entis necessarii existentiam inferri posse negant, hoc adhuc loco sunt diluendæ. Porro ponunt illi, mundum ab æterno extitisse cum infinita serie causarum sibi succedentium, quarum unaquæque seorsim sumpta contingens sit. Quam quidem hypothesim plenam esse contradictionis, vel hac argumentandi ratione confici potest: series illa ex omni æternitate durare deberet, uti ponitur, & poni debet, si initio caret: ergo in ea serie deberet aliquod individuum dari, quod sit æternum, existendique initio careat; secus enim qua ratione fieri posset, ut series illa ex omni æternitate duret? Jam vero ex eadem hypothesi sequitur, in dicta serie nullum dari individuum, quod existendi initio careat: nam unumquodque individuum ab alio præcedente ponitur determinatum fuisse ad existendum. Ergo juxta hanc hypothesim deberet aliquod individuum carere initio existendi, & simul deberet unumquodque habere initium existendi; quæ pugnantia utique sunt, hypothesimque convellunt. Verum ne hac quidem hypothesi sibi permissa poterunt inficiari existentiam entis necessarii, ut mox uberius videbimus.

90. *Obj. cont.* 7. *Prop.* 1.*mo* Ponamus mundum ab æterno extitisse cum infinita serie causarum sibi succedentium, quarum unaquæque contingens sit: hoc posito sic argumentor. Ideo in serie quapiam finita contingentium non potest contineri cu-

juspiam entis sufficiens existendi ratio, quia in ea deveniretur ad primum, cujus causa extra seriem illam quærenda sit: atqui in serie infinita ad primum deveniri non potest; ergo non est, cur in hac nequeat ratio sufficiens entis contingentis contineri, adeoque ex entis contingentis existentia non sequitur, extare debere ens necessarium, extra seriem contingentium positum.

℞. Posita hypothesis est plena contradictionis. (*præc. Schol.*) Ea nihilominus præmissa, *D. maj.* Ideo duntaxat, quia deveniretur ad primum *N. maj.* Ideo potissimum, quia secus ratio sufficiens existentiæ cujuspiam entis contingentis collocanda esset in ejusmodi ente; quod ipsummet etiam existat ab alio *C. maj. D.* etiam *min.* atqui in serie infinita ad primum deveniri non potest, in eo tamen ratio sufficiens cujuspiam entis in ejusmodi ente collocanda esset, quod existit ab alio *C. min.* secus *N. min.* & *cons.* Series entium contingentium, tametsi esset infinita, nonnisi contingenter existeret, uti n. 88. ostendimus. Atque hæc est ratio, cur in ejusmodi serie, tametsi ponatur esse infinita, nequeat contineri sufficiens existendi ratio ullius entis contingentis, sed ea in quopiam ente necessario extra totam contingentium seriem posito quærenda sit. (87.)

Urgeb. 1. Tametsi quodlibet individuum dictæ seriei seorsim sumptum contingens esset, hic tamen non sequitur, totam etiam eorundem collectionem fore contingentem; ergo ratio sufficiens, cur unumquodque individuum contingens existat, in ipsa eorundem collectione contineri posset. *Prob. ant.* Tametsi quodlibet individuum seorsim sumptum contingens esset; posset nihilominus eorundem collectioni vaga quæpiam necessitas inesse, vi cujus semper aliqua individua indefinite sumpta necessario existant, à quibus alia producantur: sed, stante hujusmodi vaga necessitate, dicta collectio non esset contingens; ergo tametsi quodlibet individuum dictæ seriei seorsim sumptum contingens esset, inde tamen non sequitur, totam etiam eorundem collectionem fore contingentem. *P. maj.* Tametsi cuilibet navi seorsim sumptæ contingens sit navigatio, adest tamen vaga quæpiam necessitas, vi cujus aliqua indefinite navis necessaria sit ad navigandum: ergo similiter.

℞. *N. ant.* Ad prob. *D. maj.* Posset eorundem collectioni vaga quæpiam necessitas hypothetica inesse *T. maj.* necessitas quædam absoluta *N. maj. sic dist. min. N. cons.* Ut quæpiam collectio contingentium desinat esse contingens; absoluta quædam existendi necessitas eidem insit, oportet: hypothetica non sufficit. (82) Jam vero, qui potuit fieri, ut per meram contingentium, ac proinde absoluta existendi necessitate prorsus carentium adgregationem conflетur quæpiam collectio, absoluta necessitate existens? anne putas posse fieri, ut omnis absolutæ necessitatis inopia per meram sui multiplicationem etiam sine fine continuatam abeat tandem in absolutam necessitatem? ut nihilum infinities acceptum abeat in quantitatem positivam, & alia id genus? Igitur etiamsi transmittamus, fore, ut in ejusmodi serie, vaga quæpiam hypothetica necessitas insit, vi cujus semper aliqua individua exstare debeant sub hac hypothesi, *si producenda sunt nova entia contingentia*; adhuc tamen series illa contingentium non desinet esse contingens.

Ad prob. majoris *D. ant.* adest tamen vaga quæpiam &c. hæcque ne-

cessitas est absoluta *N. ant.* est mere hypothetica *C. ant. D.* etiam *cons.* Ergo similiter dictæ seriei potest inesse hypothetica quædam necessitas *Tr. cons.* necessitas absoluta *N. cons.* Ex veritate hujus enunciationis: *aliqua navis est necessaria ad navigandum*, non sequitur, ullam navem existere absoluta necessitate, sed tantum aliquam existere debere, *si instituenda sit navigatio.* Igitur vaga illa necessitas, vi cujus aliqua indefinite navis necessaria est ad navigandum, est mere hypothetica. Porro hypotheticæ hujus necessitatis sufficiens fundamentum præbet ipsa notio *navigationis*; cum navigare tantundem sit, ac navi vehi. Contra, ut verum sit, dictam seriem non esse contingentem, in ea quædam absoluta existendi necessitas contineatur, est necesse (82); quod tamen fieri non posse, superius ostensum est.

Urg. 2. Si dicta entium collectio deberet esse contingens, id hoc argumento conficeretur: *Quodlibet individuum dictæ seriei est contingens, ergo etiam tota eorundem collectio est contingens*; atqui hæc argumentandi ratio vitiosa est, ergo. *P. min.* Vitiosa est hæc argumentatio: *singuli homines sunt unus homo, ergo etiam tota hominum collectio est unus homo*; ergo similiter.

℞. *C. maj. N. min.* Ad prob. *C. ant. N. cons.* Ut dispar ratio pateat, advertendum est, argumentationem adfirmativam, quæ à sensu, ut ajunt, distributivo ad collectivum ducitur, tunc esse legitimam, si prædicatum illud, quod in antecedente singulis individuis attribuitur, cum ipsa individuorum collectione non pugnet; secus vero nullius roboris esse. Sic rite quis argumentaretur hoc modo: *quilibet homo seorsim sumptus ratione præditus est, ergo etiam tota hominum collectio ratione prædita est.* Quippe prædicatum *ratione præditus* cum ipsa hominum collectione prorsus non pugnat. Atque hujusmodi est argumentatio nostra, quæ in objectione adfertur. Ostendant enim Adversarii, cur prædicatum *contingens*, si commune sit individuis singulis, eorundem collectioni repugnet? Istud non ostendent prius, quam doceant nos, quomodo per meram contingentium adgregationem quiddam absoluta necessitate existens conflari possit. Aliter loquendum est de argumentatione quam vitiosam esse, Adversariis concessimus. Cum enim cuilibet individuo, seorsim duntaxat accepto convenire possit prædicatum *unus homo*; istud cum ipsa plurium hominum collectione aperte omnino pugnat.

91 *Obj.* 2.*do* Argumentum, quo n. 88. probatur, rationem sufficientem, cur unumquodque contingens existat, in ipsa contingentium serie contineri non posse, huic æquivalet: *ratio sufficiens, cur existat ens contingens A, nec in ente contingente B, nec in C, nec in D, &c. continetur; ergo neque in tota eorundem collectione potest contineri*: atqui hæc argumentandi ratio prorsus non est legitima; ergo adhuc ratio sufficiens, cur unumquodque contingens existat, in ipsa eorundem serie contineri potest. *Prob. min.* Vitiosa est hæc argumentatio: *Nec Petrus, nec Paulus &c. potest loco movere grande quodpiam saxum, ergo ne collectio quidem ulla hominum potest id præstare*; ergo similiter.

℞. C. *maj. N. min.* Ad prob. *C. ant. N. cons.* Dispar ratio est; quilibet enim homo pollet viribus, quæ cuipiam oneri, quod certæ saxi illius parti æquivaleat, commovendo sufficiant: quilibet ergo habet virtutem, ut dici amat, *inchoatam* ad saxum illud loco movendum, quæ

virtus accessione plurium compleri possit ita, ut reapse etiam illud de loco dimoveat. Atque in hujusmodi materiis argumentationem negativam à sensu distributivo ad collectivum ductam non esse legitimam, manifestum est. At si adglomeratio individuorum nihil omnino conferat ad hoc, ut prædicatum iis singulis non conveniens de tota eorundem collectione possit adfirmari, eadem argumentatio negativa summi omnino roboris est; e. g. hæc; *nec lapis A, nec B, nec C &c. pollet vi cogitandi, ergo ne tota quidem lapidum collectio pollet vi cogitandi.* Atque hujus generis esse argumentationem nostram in objectione adlatam, patet: nam utcunque augeatur contingentium collectio, augmentum illud nihil conferet ad hoc, ut collectio illa existat absoluta necessitate; ergo neque ad hoc conferet quidquam, ut in eadem sufficiens cujuspiam entis contingentis existendi ratio contineatur. (87)

Urgeb. Quodlibet contingens determinaret alterum ad existendum; ergo haberet inchoatam virtutem ad continendam ejus existentiæ rationem sufficientem, quæ virtus inchoata plurium accessione compleri possit.

℞. *Tr. ant. N. cons.* Cum enim ratio sufficiens cujuspiam entis contineri non possit, nisi in ente quopiam absoluta necessitate existente; tunc singula individua haberent virtutem inchoatam ad continendam sufficientem cujuspiam entis existendi rationem, quando haberent virtutem inchoatam ad hoc, ut plurium contingentium accessione constituant quodpiam ens absoluta necessitate existens. Ad quod ne inchoata quidem virtus iis inest.

CAPUT NONUM.

De principio & causa.

§. I.

De principio & causa in genere.

92 *Principium* generatim est omne id, unde aliquid quoquo modo pendet. Illud vero, quod à principio pendet, *principiatum* solet in Scholis nominari.

Coroll. 1. Igitur principium in se continet rationem principiati sui. (66)

Coroll. 2. Principium prius est principiato. Ratio enim, propter quam principiatum est potius, quam non est, continetur in principio (*cor.* 1.): atqui ratio prior est eo, quod per eam est potius, quam non est; igitur principium etiam prius est principiato.

93 Diverse potest alterum altero esse prius. 1) *Tempore prius* est, quod existit altero nondum existente. 2) *Origine prius* dicitur id, quod alterius, cum quo ejusdem individuæ naturæ est, sufficientem rationem in se continet. Istud in Divinis obtinet: nempe Pater est prior *origine* Filio; Pater, & Filius Spiritu Sancto. 3) *Natura prius* est, quod ab altero spectata natura distinguitur, & aliquomodo ad ipsius existentiam requiritur.

94 Principium in tres potissimum classes tribuitur: videlicet in principium essentiæ, existentiæ, & cognitionis. Principium *essentiæ* est, in quo continetur ratio, cur alterum possibile sit. Principium *existentiæ* est, quod rationem continet, cur alterum existat potius, quam non existat. Id demum, in quo inest ratio, cur al-

terum cognoscatur, principium *cognitionis* audit. Sic in qualibet legitima demonstratione consequentis principium cognitionis est ipsum antecedens.

95 *Causa* generatim est principium, quod rationem in se continet, cur alterum in rerum natura existat. Illud, cujus existendi ratio in causa continetur, *effectus*, vel *causatum* solet nominari. Denique ratio illa, propter quam existentia causati à causa pendere intelligitur, *causalitatis* nomine venit.

Coroll. 1. Igitur causa nonnisi *principium existentiæ* est (*præc.*) Hinc latius pertinet notio principii, quam notio causæ.

Coroll. 2. Cum omnis causa sit effectus sui principium: causa quævis effectu suo prior sit, oportet (92. cor. 2.)

Schol. Theologi ad causæ notionem requirunt, ut hæc ab effectu natura distinguatur, ac proinde ut effectu suo *natura prior* sit (93). Hinc in Divinis Patrem non causam Filii, sed ejus principium nominant; cum Deus Pater à Filio suo natura, seu Divinitate non distinguatur, etsi hujus rationem existendi in se complectatur. Græci tamen vocabula *principii*, & *causæ* pro synonimis habent; hinc eadem in Divinis etiam promiscue usurpant.

§. II.

De causa efficiente, finali, materiali, & formali.

96 Causa dividitur in efficientem, finalem, materialem, & formalem. *Efficiens* est, quæ actione sua continet rationem sufficientem, cur aliquid existentiam obtineat. e. gr. Causa efficiens soleæ est faber.

Coroll. Igitur causa efficiens pollere debet *agendi potentia*, seu habilitate quopiam exercitio suo effectum ad existentiam perducendi: quod quidem exercitium ejusmodi esse debet, ut eo intellecto intelligatur effectus ad existendum esse determinatus.

97 Agendi potentia solet *activa potentia* nominari: quemadmodum potentia patiendi, seu habilitas entis ad hoc, ut in ipso, aut ex ipso aliquid effici possit, *potentia passiva* nuncupatur. Agendi potentia solet etiam *vis* nuncupari. Sic potentiam cogitationes eliciendi *vim cogitandi* vocamus: potentiam motum in se ipso, vel in quopiam alio ente producendi dicimus *vim motricem* &c. Notandum tamen jam hoc loco est, nonnullos vocabulo *vis*, vel *virium* in corporibus non aliud intelligere, quam certas ad motum, vel quietem determinationes, minime autem ipsas harum determinationum causas: has enim à viribus discernunt, *causasque virium* nominant. Nos ipsi horum vestigiis insistemus.

98 Causa efficiens dupliciter considerari solet: nempe vel ut actu agens, vel ut potens agere. Ut actu agens dicitur esse in *actu secundo*, seu in ipsa actione: ut potens agere est *in actu primo*. Porro actus primus (seu potentia agendi) est vel remotus, vel proximus. *Actus primus remotus* est ipsa causæ potentia, nondum instructa iis omnibus, quæ ad agendum requiruntur; *actus primus proximus* habetur, si causæ adsint omnia ad agendum requisita. Hinc causa dicitur esse *in actu primo remoto*, si nondum sit instructa omnibus ad agendum requisitis; *in actu* autem *primo proximo* esse intelligitur, si intelligantur adesse ipsi omnia ad agendum requisita.

Coroll. Igitur actus primus proximus consurgit ex iis omnibus, quæ

ad effectum ponendum requiruntur: unde etiam id genus requisita solent *constitutiva* actus primi proximi nuncupari.

Schol. Requisita ad agendum sunt duplicis generis. Nam eorum aliqua simul efficiunt causæ sufficientiam; e. gr. securis, qua quis lignum findit: alia sunt *conditiones* meræ, sine quibus causa, ut ut ceteroquin sufficiens, effectum tamen ad existentiam perducere non potest. Conditiones aliæ sunt *positivæ*, ut debita causæ adplicatio ad subjectum, in quo aliquid est efficiendum; aliæ *negativæ*, videlicet absentiæ eorum, quæ actionem quoquo modo impedire possent.

99 Causa efficiens dividitur I. in liberam, & necessariam. Nempe causa, quæ ita agit, ut actionem pro arbitratu suo omittere possit, *libera* est: sin minus, *necessaria* nuncupatur. e. g. Deus est libera causa efficiens hujus mundi: ignis stramini sicco rite adplicitus est necessaria incendii.

100 Dividitur II. in principalem, & instrumentalem. *Principalis* est, quæ propria vi, seu efficacitate producit effectum: *instrumentalis* vero, cujus actio aliena vi efficitur. Sic in efformatione soleæ faber est causa principalis, malleus vero instrumentalis.

101 III. In physicam, & moralem. *Physica* est, quæ reapse actione sua quidpiam efficit: *moralis* vero, quæ aliena opera quidpiam facit, seu ita, ut tametsi actione sua non tribuat effectui existentiam, hæc tamen communi hominum judicio ei adsignetur. e. g. Si Cajus à Titio stimulatus quempiam occidat, homicidii causa physica est Cajus, moralis Titius.

102 IV. In causam *per se*, & causam *per accidens*. Si causa sit intelligendi facultate prædita; tunc dicitur esse causa *per se*, dum effectum animo designatum producit; *per accidens* vero, si præter animi designationem quidpiam agat. e. gr. Qui consulto quempiam perimit, est mortis causa *per se*: qui vero nonnisi feram volens interimere, latitantem in dumeto hominem plumbeo globo ferit, est causa per *accidens* illatæ necis. Quodsi autem causa careat facultate intelligendi; tunc dicenda est causa *per se*, cum eum præstat effectum, cui efficiendo natura sua destinatur: sin minus, erit causa *per accidens*.

103 V. In remotam, & proximam. *Remota*, seu *mediata* est, à qua nonnisi alia causa intercedente proficiscitur effectus: *proxima* vero, seu *immediata* est, quæ nulla alia causa intercedente producit effectum suum. Causæ proximæ, si cum remotis contendantur, solent etiam *subordinatæ* nuncupari. e. g. Si pondus horologio adnexum commoveat primam ejusdem rotulam, hæc alteram, & sic porro, dum motus ipsi indici communicetur; pondus illud est quidem causa moti indicis, at solum remota: rotulæ, si cum hac contendantur, causæ *subordinatæ* sunt dicendæ.

104 Propositio I. Nihil potest esse causa efficiens sui ipsius: neque possunt duo entia sibi mutuo esse causæ efficientes. *Prob. 1.ma pars.* Si quodpiam ens esset causa efficiens sui ipsius; ens illud actione sua contineret rationem existentiæ suæ (96.): atqui istud fieri nequit; ergo nihil potest esse causa efficiens sui ipsius. *Prob. min.* Quoniam repugnat, ut causa non existens agat, existentia causæ ingreditur actum primum proximum agendi (98. cor.); ac proinde prius est existere, quam agere (92. cor. 2.): atqui si quodpiam ens ac-

tione sua contineret rationem existentiæ suæ, in eo ente prius esset agere, quam existere (*cit. cor.* 2.); ergo fieri nequit; ut quodpiam ens actione sua rationem existentiæ suæ propriæ contineat. Consequenter non potest quoque fieri, ut sit sui ipsius causa efficiens.

Prob. altera pars. Sit ens *a* causa efficiens entis *b*. Existentia entis *a* erit prior, quam sit existentia entis *b* (92. *cor.* 2.): atqui, si ens *b* esset vicissim causa efficiens entis *a*; entis *a* existentia non prior, sed posterior esset, quam sit existentia entis *b* (*cit.*): ergo si ens *a* est causa efficiens entis *b*, nequit vicissim ens *b* causa efficiens esse entis *a*.

Coroll. 1. Cum nihil possit esse causa efficiens sui ipsius; inter causam efficientem, & ejusdem effectum realis distinctio intercedat, oportet.

Coroll. 2. Igitur, quod causam efficientem habet, ab alio dependet: nimirum à causa sua efficiente, quæ ab ipso realiter distingui debet.

105 Propositio II. Ens necessarium causa efficiente caret: at quidquid contingenter existit, causam efficientem habeat, oportet. Ratio 1.*mi* est. Nam quod causam efficientem habet, ejus existentia ab alio dependet (*præc. cor.* 2.); quod tamen de ente necessario dici nequit (83. *cor.* 2.). Ratio 2.*di* est. Quidquid enim contingenter existit, ab alio quopiam ente debet suam nancisci existentiam (83. *cor.* 3.); quod proinde ejusdem causa efficiens sit, oportet (96.)

106 Propositio III. Causa necessaria semper agit, quantum potest. Sicut enim liberum ei non est, ut agat, vel non agat (99.); ita nec est ei liberum, ut jam plus, jam minus agat: ergo semper tantum agere debet, quantum potest.

Coroll. Causa necessaria eodem semper modo ad agendum expedita temporibus æqualibus æquales effectus producit. Cum enim agat semper, quantum potest, & eodem semper modo ad agendum expedita ponatur; non est ratio, cur æqualibus temporibus producat effectus inæquales.

107 Propositio IV. Effectus, qui ab eadem causa necessaria, eodem semper modo ad agendum expedita temporibus inæqualibus producuntur, sunt, ut dici solet, temporibus *proportionales.* Id est, effectus ejus duplo tempori respondens est duplus, triplo triplus, & sic porro. Sit enim effectus certo tempori respondens = 1; alterum tempus duplum dividamus in duas æquales partes: utravis harum partium erit æqualis adsumpto tempori priori, ut per se notum est; ac proinde utrivis dimidiæ dupli temporis parti respondens effectus erit = (*Cor. præc.*): ergo effectus integro tempore duplo productus erit = 2. Item: si tempus triplum in tres æquales partes dividamus, quælibet id genus tertia pars erit æqualis adsumpto tempori priori; ac proinde cuilibet tertiæ parti respondens effectus erit = (*cit.*): ergo effectus integro tempore triplo productus erit = 3, & sic porro.

Coroll. Idem est, sive eadem causa necessaria, eodem semper modo ad agendum determinata agat diversis temporibus A & B, seu una solum tempore A, altera vero ei æqualis agat tempore B; ergo etiam ii effectus, qui à duabus causis necessariis æqualibus, sed inæqualibus temporibus producuntur, sunt ipsis temporibus proportionales.

108 Propositio V. Si duæ causæ necessariæ inæquales eodem tempore, aut æqualibus temporibus agant; effectus sunt causis ipsis proportionales. Cum enim causa neces-

saria tantum semper agat, quantum potest (106.), causa vero dupla duplo, tripla triplo plus possit intra idem tempus agere; consequens est, causæ necessariæ duplæ effectum in posito casu fore duplum, triplæ triplum &c. quod tantundem est, ac effectus esse causis ipsis proportionales.

109 PROPOSITIO VI. Si duæ causæ necessariæ, quarum neutra varietur ita, ut jam magis, jam minus sit ad agendum expedita, fuerint inæquales, agantque temporibus inæqualibus; earum effectus erunt inter se in ratione composita directa ipsarum causarum, & temporum, quibus agunt. Id est, si una causa C tempore T producat effectum E, altera vero causa *c* tempore *t* producat effectum *e*; erit E : *e* = C T : *c t*.

Ponamus enim imprimis causam C agere primum tempore T, dein tempore *t*. Ejus effectus tempori T respondens erit, uti posuimus = E; & quoniam eadem causa necessaria inæqualibus temporibus inæquales effectus producit, ponamus ejusdem effectum tempori *t* respondentem esse. = ε Duo hi ejusdem causæ effectus, diversis temporibus respondentes, sunt iisdem temporibus proportionales (107.); seu est E : ε = T : *t*.

Ponamus deinde utramque causam C & *c* eodem tempore *t* agere; erit, uti posuimus, prioris effectus = ε, posterioris = *e*. Qui duo effectus inter se comparati ipsis causis proportionales erunt (*præc.*), seu stabit, ε : *e* = C : *c*.

Est ergo E ε : ε *e* = T C : *t c* (*Algeb. nost.* 179.), adeoque E : *e* = T C : *t c* (*Ejusd.* 172.)

110. *Finis*, seu *causa finalis* est id, quod causa efficiens agendo consequi cupit, seu cujus gratia agit. ex. gr. Venationis finis est ferarum acquisitio.

Coroll. 1. Nemo est, qui rem ullam cupiat, & consequi conetur, nisi quidpiam boni in ea inesse arbitretur, ut sua cuique conscientia testatur; quilibet ergo finis est boni cujuspiam veri, vel adparentis consecutio.

Coroll. 2. Finis non potest permovere causam ad agendum sui consequendi gratia, nisi prius & finis ipse, & modus illum consequendi intelligatur; quare causa efficiens, quæ propter finem agit, intelligentia polleat, est necesse.

Schol. Finem inter causas recte referri ex ipsa causæ notione patet. Unde etiam Seneca "an non putas, „inquit, inter causas facti operis „numerandum, quo remoto factum „non esset?"

111 Fieri potest, ut quispiam effectus sit causa finalis sui ipsius. Sic si quisquam horologium fabricet, & effectus, & finis etiam actionis est idem horologium. Neque sequitur hinc fore, ut horologium absurdo quodam sensu sit prius & simul posterius se ipso. Illud enim nonnissi in statu; ut vocant *ideali* sumptum, est causa sui ipsius in statu *actualitatis* considerati: nempe quatenus ab artifice cognitum, hunc bonitate in ipsius idea relucente, ad agendum, ipsumque ad existentiam perducendum movet. Unde horologium in statu *ideali* duntaxat consideratum est prius se ipso reapse existente: quod in se nihil absurdi complectitur.

Coroll. Errat ergo Spinoza, dum causas finales nihil, nisi humana esse figmenta ait hoc ex capite, quod secus idem se ipso prius, & posterius esset.

112 Discernendus est finis à rationibus, quibus causa efficiens sæpe

impellitur ad agendum propter finem, quæve solent *causæ impulsivæ* nuncupari. Quippe finis ob suam bonitatem, quæ in ipsius consecutione relucet, movet causam efficientem, ut efficiatur: causæ autem *impulsivæ* neque ob bonitatem suam, neque ad hoc movent causam efficientem, ut ipsæ hujus actione efficiantur; verum jam exstantes id efficiunt, ut facilius, vel etiam major bonitas adpareat in fine, ac propterea ad ejus effectionem causa efficiens magis propendeat.

113 Finis ille, qui nullo alio intermedio intenditur à causa efficiente, *proximus*; qui vero nonnisi alio, vel aliis finibus intermediis intenditur, *remotus* dicitur. Inter remotos *ultimus* est, ad quem omnes intermedii referuntur. e. g. Ejus, qui ad condiscenda Logicæ præcepta animum adjicit, finis *proximus* est notitia eorumdem præceptorum; *remotus* habilitas mentis ad quascunque scientias alias facilius consequendas; *remotior* bonum tam privatum, quam commune; *ultimus* denique Gloria Conditoris.

114 Finis divitur etiam in principalem, & minus principalem, seu secundarium. *Principalis* est, propter quem ita agit causa, ut si etiam nullum alium finem sibi præstituisset, ageret tamen propter illum solum: *secundarius* vero, propter quem solum non ageret causa efficiens, nisi alium etiam finem haberet sibi præfixum. e. gr. Dum quispiam amici salutandi, & simul se se commovendi gratia quoquam vadit; si ita sit animo comparatus, ut solius commotionis gratia eo non proficisceretur, nisi amicum ibidem haberet salutandum, ejus finis principalis est salutatio amici, secundarius autem sui ipsius commotio.

115. Quidquid ad consequendum finem deservit, *medium* nuncupatur; id vero quod consecutioni finis officit, *impedimentum* solet vocari.

Coroll. Qui efficaci voluntate vult aliquem finem, etiam media ad eum requisita velit, oportet. Secus enim vellet finem, ut ponitur, & simul nollet, cum non vellet ea, quæ ad consequendum finem sunt necessaria. Quodsi tamen sciat media illa aliunde ponenda; necesse non est, ut ea intendat, sed sufficit, si velit eorundem positionem permittere.

116. *Causa materialis*, seu *materia* est id, ex quo constat ens compositum.

Schol. Materia hæc dicitur *ex qua*, ut discernatur tam à materia, *in qua* aliquid recipitur, vocaturque *subjectum inhæsionis*; quam etiam à materia *circa quam* actio quæpiam versatur.

117 *Causa formalis*, seu *forma* est, qua accedente sic disponitur materia, ut ad certam entium classem referatur, discernaturque ab aliis entibus, ex ejusdem speciei materia constantibus. e. gr. Forma statuæ est ipsa ejusdem figura.

DISSERTATIO ALTERA
COMPLECTENS COSMOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM.

De natura, & origine mundi.

§. I.

De mundi notione, partiumque nexu.

118 *Mundi* vocabulo potissimum designamus rerum omnium conditarum, quæ cœlo, terraque continentur, universitatem: quam primus omnium Pythagoras, si Plutarcho credimus, ob illam, quæ in eà cernitur, elegantiam Græco vocabulo *κόσμον*, seu *ornamentum* nuncupavit. Eandem ob causam à Latinis illa *Mundus* nominari cœpit. "Quem (inquit Plinius *l.* 2. *hist. nat. c.* 4.) "Græci *κόσμον* nomine *ornamenti* appellavere, eum & nos à perfecta, "absolutaque elegantia *mundum* dicimus."

119 Entia, quæ mundus complectitur, partim coexistunt, ut Sol, Tellus &c. partim se se consequuntur, quemadmodum e. gr. floribus succedunt fructus. Illa *simultanea*, hæc vero *successiva* solent nuncupari.

120 Si entia successiva sic constituta sint, ut in uno eorum insit ratio, cur ei succedat alterum, dicuntur *connexa ratione temporis*: simultanea vero, quorum unum in se continet rationem, cur ipsi coexistat alterum, sunt *connexa ratione spatii*.

Coroll. E notionibus causæ efficientis (96.), & finalis (110.) facile patet, nexum ratione temporis causæ efficienti, & effectui esse proprium; nexum vero ratione spatii causis finalibus convenire.

121 Propositio I. Est in mundo nexus ratione temporis. *Prob.* Præsens rerum status à priore pendet; & prior ille pendebat ab alio ipsum præcedente, atque ita porro, usque dum ad primum conditi mundi statum deveniatur: atqui istud tantundem est, ac esse in mundo nexum ratione temporis (*præc.*); ergo est in mundo nexus ratione temporis. *Maj.* patet; quilibet enim rerum status causam suam habere debet, à qua pendeat, hæc autem ad præcedentem utique statum est referenda. Certe ut materia mundi dato quopiam tempore habeat determinatum statum, ad eum à statu præcedente determinari debet; qui præcedens status si fuisset alter, ac fuerit, subsequens quoque alter esset, ac sit: neque enim e. g. lapis, qui tempore quopiam est in Tellure, esset ibi, si tempore proxime præcedente fuisset in Luna. Porro status præcedens non potest determinare sequentem, nisi quatenus ipse determinate existit: ipse autem itidem nullam habet in se determinationem ad existendum, sed illam accipit à statu præcedente, & sic porro.

Schol. Nexus hic, ut alia exempla prætercam, elucet primo in anima-

libus, quorum unumquodque suam originem à præcedente trahit. Elucet deinde in plantæ cujusvis generatione. Ut enim enascatur illa, nonne prius adesse semen, terræque committi, tum humore terræ, calore solis foveri debet? &c. quod idem sane est, ac consequentem plantæ statum cum præcedente rerum enumeratarum statu ratione temporis connecti.

122 Propositio II. Est in mundo nexus ratione spatii. *Prob.* Si Deus eo fine voluit unum simultaneorum alteri coexistere, ut ei certos quospiam usus præstet, est in mundo nexus ratione spatii; ea enim, quorum unum alterius causa conditum est, connexa esse nemo non videt: atqui Deus est eo sane fine voluit unum simultaneorum coexistere alteri, ut certos illud alteri huic usus præstet; ergo est in mundo nexus ratione spatii. *Min. prob.* Deus gubernat mundum, & providentia sua administrat, ut in Theologia naturali docebitur: ergo si unum simultaneorum alteri egregios, & necessarios usus præstat, fatendum est, hos ipsos usus fuisse fines, cur Deus ea simul consistere voluerit: atqui ab uno simultaneorum alteri egregios, & necessarios usus præstari, amplissima inductione evinci potest. Si quis non videt singulares illos usus, qui ex ea, quam experimur, Solis constitutione capi in Tellure solent? Finge illum ab hac tanto intervallo disjungi, ut nulla, aut prorsus exigua sit apud nos radiorum solariun efficacitas; nonne adamantino quodam gelu rigescent omnia? Finge eundem Telluri nimis vicinum reddi; nonne vehemens quidam, & intolerabilis ardor nova exitii causa erit? Quodsi unam eandemque semper Telluris partem suis feriret radiis, aut ab Æquatore nunquam deflecteret; veri æstas, huic autumnus, autumno hyems succedere non posset: cum tamen, ut Cicero loquitur, ex his temporum quatuor mutationibus omnium, quæ terra, marique gignuntur, initia, causæque ducantur. Deinde, quæ erit, quæso, rerum facies, si aer telluri circumfusus respirationi animalium, vaporibus sustentandis &c. servire desinat? si venti vapores in nubes nunquam cogant, noxias exhalationes non dissipent? si nubes æstum nimium non temperent, inque pluviam resolutæ terram non irrigent? si terra fruges, sylvæ feras, aquæ pisces nutriendis animalibus servitura prorsus denegent &c.

Schol. Eadem generalis providentia Dei argumento nobis sit, oportet, ut inter cetera etiam mundi entia simultanea dictum nexum intercedere fateamur; tametsi eos fines, quos rebus plurimis Deus præstituerit, adsequi omnino non possimus.

123 Propositio III. Essentia mundi sita est in ejusdem entibus successivis, & simultaneis, inque modo illo, quo hæc inter se sociantur. Nam essentia cujuslibet compositi sita est in certi generis partibus, earumque certa conjugatione (57): atqui mundus est compositum, complectens in se entia successiva, & simultanea, certo nexu inter se sociata, ut ex hactenus dictis liquet.

Coroll. Igitur si modus ille, quo entia mundi secundum generales quasdam leges consociantur, mutaretur, mundus idem, qui nunc est, non perduraret, sed in alium quempiam novum transformaretur.

Schol. Dissertatione hac de Mundo *corporeo* duntaxat, nimirum qui complexione rerum corporearum definitur, agemus: ea, quæ de subs-

tantiis corporis expertibus, tradi solent, alibi persequemur.

§. II.

De origine Mundi.

124 De origine mundi in varias sententias abiverunt Philosophi veteres. Democritus, & Epicurus existimabant mundum ex æterna, & à nullo condita materia, fortuito atomorum concursu, coaluisse. Anaxagoras, aliique censuerunt eum ex æterna quidem, & improducta quadam materia, sed tamen à Deo fuisse efformatum. Non deerant etiam, qui materiam mundi dicerent esse ortam ex ipsa natura Divina per emanationem, fere uti araneus materiam telæ suæ è sinu suo educit. Huic veterum quorumdam delirio affinis erat secutis temporibus impietas Benedicti Spinozæ, docentis unicam tantummodo extare in rerum natura substantiam, eamque esse æternam, individuam, ex infinita cogitatione, & extensione conflatam, quæ substantia esset ipse Deus: res autem alias omnes, quæ mundum constituerent, esse divinorum attributorum, hoc est, cogitationis, & extensionis modos, fierique eas ex necessitate naturæ Dei secundum necessarias ejusdem leges. Iis denique, qui Philosophiam orthodoxæ fidei consentaneam amplectuntur, certum est, ea omnia, quæ universum hoc in se continet, à Deo ex nihilo fuisse condita, seu ita, ut aliquando nihil fuerint, ac proinde existendi initium habuerint: utpote quod apertis sacrorum codicum testimoniis compertum est.

125 Propositio I. Materia, ex qua mundus hic corporeus coaluit, ab ente absolute necessario, seu Deo est condita. *Prob.* Materia mundi est contingens; ergo ab alio condita est (83. *cor.* 3.), & quidem ab ente absolute necessario, sive Deo (87). Prob. *ant.* Si non esset contingens, verum absoluta necessitate existeret; esset immutabilis (86): atqui immutabilis non est, diversissimis enim modis conjugari, variisque motibus cieri potest, ut nemo non videt; ergo materia mundi est contingens. Adde: si materia illa necessaria esset, omni possibili perfectione absque ullis limitibus esset prædita (85); polleret adeo summa intelligendi vi, efficacitate infinita &c. quæ de illa serio adfirmare apertum profecto turbatæ mentis indicium foret.

Coroll. Insaniret igitur, qui mundum hunc ex omni æternitate absque omni conditore extitisse, aut è materia quadam, quæ à se ipsa existat, fortuita minimarum partium commixtione coaluisse arbitraretur.

126 Propositio II. Materia mundi non est orta ex ipso Deo per emanationem. *Prob.* Quoniam Deus omnes possibiles perfectiones absque ullis limitibus in se complectitur (85), ens simplex sit oportet; esse enim ex partibus conflatum magna sane imperfectio est: atqui mundana hæc materia, adeo composita & multiplex ex ente simplice per emanationem oriri utique non potuit; quid enim potuisset ex ente simplice decerpi, quod in mundi materiam abisset? ergo materia mundi non est orta ex ipso Deo per emanationem.

Coroll. Ex his id quoque patet, delirasse impium Spinozam, dum has omnes, quas extare experimur, res mundanas non aliud esse dixit, quam meros naturæ Divinæ modos. Quis enim sanæ mentis fieri posse existimet, ut res istæ, quas extare experimur, adeo compositæ, ab in-

vicem separabiles, totque imperfectionibus scatentes nihil aliud sint, quam diversæ modificationes entis simplicis, infinite perfecti, adeoque omnem imperfectionem natura sua excludentis?

127 Propositio III. Mundus à Deo ita conditus est, ut initium existendi habuerit. *Prob.* Hanc mundi ætatem, quæ non caret suis monumentis, sexque circiter annorum millia hactenus in se complectitur, vocemus A, &, si mundus ante hanc ætatem extitit, omnem illam priorem ejusdem ætatem vocemus B. Quo longior esset ætas B, eo sane probabilius esset, quod aliqua ejus monumenta ad ætatem A pervenissent, nobisque innotescerent, nisi peculiaris causa adsit, cui eorundem interitus adscribi queat: ergo si ætas B esset infinita, probabilitas hæc summa omnino esset. Atqui nulla imprimis monumenta ætatis B innotescunt nobis, ex quibus suspicari liceat, vel ante centum millia annorum extitisse mundum. Deinde dici nequit, peculiarem aliquam causam adfuisse, quæ id genus monumenta interceperit, nobisque innotescere vetuerit. Quam enim adduces causam, quæ prudenti viro videatur imprimis probabiliter intervenisse, videatur deinde apta fuisse intercipiendis omnibus omnino ætatis B ut ut infinitæ monumentis? An cum Machiavello dices, mundum eluvionibus aquarum sæpius fuisse obrutum, atque ita priorum memoriam identidem intercidisse? At unde imprimis probas eluviones? qui fieri potuit, ut sola eluvionum memoria ad nos perveniret, reliquorum gestorum, statuumque, quos mundus ante eluviones obtinuerit, ne vestigio quidem relicto? Deinde tametsi ponamus extitisse eluviones; profecto si ætas B ab æterno fluxit, infinities probabilius est, primam numorum, literarumque inventionem ætate B contigisse, quam ætate A, pauca millia annorum complectente: cur ergo nihil è terris occasione eluvionum congestis, ac commixtis unquam deprehendimus, è quibus vel suspicari liceat mundum ante ætatem A extitisse? anne verosimile est, omnia hujusmodi monumenta eluvionibus adsumpta fuisse, quin ulla eorum memoria ad nostram ætatem pertingere potuerit? Dicendum ergo est, mundum ita esse à Deo conditum, ut initium existendi habuerit.

Schol. Qui existimant, ne potuisse quidem mundum existere ab æterno, sic fere ratiocinantur: 1.*mo* Materia hujus mundi à Deo vel est condita ex nihilo, vel ex alia quapiam re: alterum istud dicere frustra esset; rediret enim quæstio de eo, ex quo materia hujus mundi condita diceretur. Quodsi autem ex nihilo condita est, aliquando fuit nihil, ac proinde existendi initium habuit. Adde: mundus eo ipso, quod nihil in se contineat suæ ad existendum determinationis, debuit aliquando indifferens esse ad existendum: atqui nunquam fuisset ad existendum indifferens; si ex omni æternitate extitisset, ergo non extitit ex omni æternitate. 2.*do* Si mundus extitisset ab æterno, tempus reale præteritum esset infinitum: atqui tempus reale præteritum nequit esse infinitum; quod sic declaro. Eo ipso, quod tempus reale futurum fine careat, illud ab hoc præsente momento effluere totum nunquam poterit; ergo neque præteritum tempus reale potuisset effluere, ita ut ad præsens momentum deveniatur, si fuisset infinitum. *Cons.* tenet. Nam inter præteritum tempus infinitum, & futurum hoc unum discrimen intercedit, quod præsens momentum sit finis præteriti temporis altero ter-

mino carentis, & idem præsens momentum sit initium futuri itidem altero termino cariturі: non est ergo, cur futurum tempus infinitum non posset effluere, si præteritum illud pariter infinitum effluere potuisset. Neque juvat confugere ad æternitatem Dei, quæ nunquam finienda sit, tametsi initium non habuerit. De hac enim longe aliter esse sentiendum, utpote in qua nulla successio locum habet, sed tota semper existit, in Theolog. natur. patebit.

128. *Obj. Cont. 3. Prop. 1.mo* Quidquid Deus cognoscit, id ab æterno *cognitum* est; ergo etiam quidquid condit, ab æterno *conditum* sit, oportet; adeoque mundus non est à Deo conditus ita, ut initium existendi habuerit. *P. cons.* Voluntas Dei, cujus efficacitate mundum ille condidit, non minus æterna est, ac sit ejusdem intelligentia; ergo si id, quod Deus cognoscit &c.

℞. *C. ant. N. cons.* Ad prob. *D. ant.* Voluntas Dei, cujus efficacitate &c. attamen ejus voluntas liberrima est in condendis rebus, non item intelligentia in iisdem cognoscendis *C. ant.* secus *N. ant. & cons.* Quodsi Deus non cognovisset ex omni æternitate ea omnia, quæ cognosci possunt, aliquando rerum quarumpiam ignoratione laborasset; quæ magna sane imperfectio est. Contra ex eo, quod mundus aliquando non extiterit, nulla redundat in Conditorem imperfectio: cum enim ille se solo beatissimus sit, è mundi effectione nihil ei felicitatis accrescit; ac proinde neque detrimentum ullum ex ejusdem absentia capere potest. Igitur voluntas Dei liberrima est, ut condat res quasdam, aut nullas condat; item ut iis hoc, aut illud tempus pro existendi initio præstituat.

129. *Obj. 2.do* Voluntas Dei, qua is mundum condidit, continet in se sufficientem existentiæ mundi rationem, ergo quemadmodum voluntas illa æterna est, ita mundus etiam æternus sit, oportet (12. *cor.* 2.).

℞. *D. ant.* Continet in se sufficientem existentiæ mundi rationem, existentiæ, inquam, ei tempori respondentis, cui illam Deus respondere vult *C. a.* existentiæ hoc modo non limitatæ. *Neg. ant. & cons.* Ex eo, quod Deus velit mundum condere, non illico intelligitur existere mundus, sed solum intelligitur existere, aut extiturus *eo tempore*, quo Deus illum existere vult: secus enim evinceretur, eos omnes homines, qui primum nascituri sunt, jam existere, imo ex omni æternitate exstitisse, cum voluntas eos producendi in Deo nunquam non extiterit. Igitur ut mundus existat, non sufficit inesse Deo voluntatem eum condendi, sed præterea adesse debet illud tempus, cui Deus existentiam ejusdem vult respondere.

130. *Obj. 3.tio* Si mundus initium existendi habuisset, necesse fuisset Deum mutari: atqui mutatio in Deum cadere non potest (86): ergo mundus initium existendi nunquam habuit. *P. maj.* Deus tempore quodam cœpisset esse conditor mundi; ergo fuisset mutatus.

℞. *N. maj.* Ad prob. *Dist. antec.* Deus tempore quodam cœpisset esse conditor mundi, si denominationem *conditoris* ab existentia effectus conditi velis desumere *C. a.* si, ut fieri oportet, denominationem *conditoris* desumas ab efficacissimo illo Divinæ voluntatis decreto, quo ille mundum condidit *N. ant. & cons.*

Efficacissimum illud voluntatis decretum, quo mundus effectus est, ea prorsus ratione inerat Deo ex omni retro æternitate, qua inerat tunc, dum mundus existere cœpit; ut adeo

per existentiam mundi Deo nihil intus accesserit. Hinc si à dicto decreto desumas denominationem Conditoris, Deus Conditor mundi nunquam esse cœpit; sin autem ob existentiam mundi hanc ei denominationem tribuas, cœpit omnino esse conditor mundi, at nulla in eodem propterea mutatio accidit. Nempe denominationes, ut vocant, comparativas potest ens obtinere, tametsi ipsum omnino maneat immutatum. Sic e. g. quamvis statura Petri maneat invariata, si tamen Paulus sensim ita excrescat, ut corpore Petrum exæquet, iste novam adipiscetur denominationem, diceturque *æqualis Paulo*; tametsi neque aliqua mutatione in se facta hanc denominationem obtinuerit, neque hæc obtenta ullam in eum induxerit mutationem. Atque hujusmodi est ea denominatio; quæ Deo quodam tempore accedit ex eo, quod res, quam condit, ad existentiam perveniat. Eleganter hanc in rem Petrus Abailardus *l.* 3. *introduct. cap.* 6. " Cum dicimus, inquit, „ Deum aliquid facere, non aliquem „ in operando motum illi inesse intel„ ligimus, vel aliquam in laborando „ passionem, sicut nobis accidere „ solet; sed ejus sempiternæ volun„ tatis novum aliquem significamus „ effectum. Cum ergo dicimus eum „ aliquid facere, dicere est, juxta „ voluntatem ejus aliquid continge„ re, ut in ipso nihil novi contingat, „ sed novum aliquid, sicuti in ejus „ voluntate fixum permanet, fiat. Un„ de bene est illud Philosophicum.... „ stabilisque manens dat cuncta mo„ veri."

Schol. Ii, qui tuentur, ne potuisse quidem mundum ab æterno extitisse, præterea sequentem cumprimis objectionem diluendam habent.

131 *Obj.* 4.to Ante quolibet, quod cogitari possit, temporis momentum existere mundus potuit: ergo ab æterno existere potuit. *Prob. Cons.* Si mundus ante quodlibet temporis momentum, quod cogitari possit, extitisset, procul dubio extitisset ab æterno: ergo etiam, si potuit existere ante quodlibet temporis momentum, quod cogitari possit, potuit existere ab æterno. Scilicet ab *esse* ad *posse* legitima est argumentatio. (17. *cor.* 2.)

℞. *D. ant.* Ante quodlibet &c. Hoc est, ante quodlibet momentum *distributive* sumptum existere mundus potuit, ita ut nullum possit cogitari determinatum temporis momentum, de quo non sit vera hæc enunciatio: *mundus poterat ante hoc momentum existere.* C. *ant.* Hoc est, ante omnia, quæ cogitari possint, temporis momenta *colective* sumpta potuit mundus existere *N. ant:* & *cons.* vel *D.* etiam *cons.* Ergo ab æterno potuit existere *pro tempore*, hoc est, ab æterno fuit habilis, ut quocumque Deo libuerit, temporis momento cum initio existendi producatur *C. cons.* Ergo ab æterno potuit existere *pro æterno*, seu ita, ut existendi initio careat *N. cons.*

Ad prob. *C. ant. D. cons.* Ergo etiam, si potuit existere ante omnia, quæ cogitari possint, momenta temporis collective sumpta, potuit existere ab æterno, intellige *pro æterno C. cons.* Si hoc solum sensu potuit existere ante omnia, quæ cogitari possint, momenta temporis, quod nullum possit cogitari determinatum temporis momentum, de quo non sit vera hæc enunciatio: *mundus poterat ante hoc momentum existere*, potuit existere ab æterno *pro æterno N. Cons.* Ad ultim. prob. *Dist. ant.* Ab *esse* ad propium *posse* valet argumentatio *Conc. ant.* ad *posse* alienum, seu ad *posse* aliter sumptum, quam sumatur ipsum *esse*, valet argumentatio *N.*

ant. & *cons.* Si mundus ante quodlibet, quod cogitari possit, temporis momentum extitisset; utique extitisset ante omnia, quæ cogitari possint, temporis momenta collective sumpta, ac proinde extitisset ab æterno: ergo proprium *posse* hujus *esse* conditionati est, posse existere ante omnia, quæ cogitari possint, temporis momenta collective sumpta. Id est, ex hoc antecedente: *si mundus ante omnia, quæ cogitari possint, temporis momenta extitisset, extitisset ab æterno pro æterno*, vi adlati axiomatis nonnisi isthoc consequens fluit: *ergo si mundus posset existere ante omnia, quæ cogitari possint temporis momenta collective sumpta, posset existere ab æterno pro æterno*, quod verum esse nullus inficiatur.

Urgeb. Deus ab æterno habuit potentiam creandi mundum, & mundus ab æterno fuit aptus ad existendum; ergo non est, cur mundus ab æterno existere nequivisset.

℞. *Dist. ant.* Deus ab æterno habuit potentiam creandi mundum *pro tempore*, seu cum initio existendi, & mundus ab æterno fuit aptus ad existendum itidem *pro tempore* C. *ant.* Ab æterno *pro æterno* habuit Deus potentiam creandi mundum, aut iste fuit aptus ad existendum. *Neg. ant.* & *cons.* Si demonstretur semel, repugnare æternam mundi existentiam; consequens est, mundum nunquam fuisse aptum ad existendum *pro æterno*, ac proinde neque Deum habuisse potentiam creandi mundum ab æterno *pro æterno*: nam contradictionem in se complectentia producere ad omnipotentiam Dei non pertinet.

CAPUT SECUNDUM.

De corporis notione, & elementis.

132 *Corporum* nomine veniunt entia hæc composita, è quibus mundum aspectabilem tanquam partibus coagmentatum cernimus. Quod ad essentiam corporis attinet: eam pervidere non possumus. Cum enim quodlibet corpus quoddam compositum sit, unus ille posset ejus essentiam pervidere, qui omnes ejusdem partes minimas, & simul modum, quo hæ copulatæ sunt, perspecta haberet (57. *cor.*) Hinc nonnisi *descriptivam* quandam ejusdem definitionem (*Log.* 47.) adserimus, aimusque: *corpus* esse substantiam (vel potius substantiarum inter se copulatarum collectionem 72. *cor.* 2.) impenetrabilem, extensam, dividuam, mobilem. *Impenetrabilitas* ea corporum proprietas est, qua fit, ut unum eorum è loco suo arceat alterum, ita ut duo corpora ad unum eundemque locum occupandum nullis naturæ viribus, nobis notis, adigi possint. Hanc, uti & extensionem, divisibilitatem, ac mobilitatem cuivis corpori convenire, amplissima evincit inductio. Non minus certum est, characteres hos simul sumptos nonnisi corporibus esse proprios: ut adeo prolata, quam attulimus, descriptione quisque satis intelligat, id à nobis designari, quod vulgo *corporis* nomine venire solet.

133 *Elementa*, seu *principia* corporum appelamus prima illa corporum initia, è quibus ea ultimo coalescunt, & ad quæ in eorundem resolutione mens denique nostra cogitatione sua devenit.

134 Propositio. Elementa corporum sunt entia simplicia. *Prob.* Cum unumquodque corpus è pluribus partibus inter se unitis compositum sit (132), in quolibet corpore inesse debent entia quædam simplicia, ex quibus inter se consociatis illud coalescat (58): atqui hæc ipsa sane entia habenda sunt pro corporum elementis (*præc.*); ergo elementa corporum entia simplicia sint, est necesse.

Schol. Quæri hoc loco potest, an unumquodque corporis elementum unico duntaxat individuo loci puncto contineatur, ac proinde prorsus inextensum sit? Non enim desunt, qui elementis, utut simplicibus *virtualem* quandam extensionem tribuant, in hoc consistentem, quod unumquodque eorum per dividuum quoddam spatium diffusum sit, ita ut alterum altero majus etiam spatium occupet.

135 Propositio II. Quodlibet corporis elementum unico duntaxat individuo loci puncto continetur, ac proinde inextensum est. *Prob.* Si quoddam elementum occuparet spatium dividuum, sequeretur, eandem numero simplicem elementi substantiam existere & in una, & in altera dividui illius spatii parte, ac proinde id, quod in una parte spatii existit, reapse non esse distinctum ab eo, quod alteram ejusdem partem occupat. Non enim posset dici, unam spatii partem una, alteram altera elementi parte impleri; cum ens simplex partibus careat. Atqui ejusmodi proprietas elementis tribui nequit. Cum enim corpora nihil aliud sint, quam congestus elementorum certa ratione consociatorum, non est elementis attribuenda ejusmodi proprietas, cui oppositam experimur in omnibus iis corporibus, in quibus experimento locus est; nisi forte ratio quædam adsit, quæ evincat, aliter in eo genere de elementis, ac de corporibus, quæ in nostros sensus incurrere possunt, sentiendum esse (*Log.* 136.): atqui imprimis in omnibus sane corporibus, in quibus experimento locus est, oppositam proprietatem experimur. Videmus enim in his ea, quæ distinctum locum occupant, semper esse distincta, ita ut satis magnis viribus adhibitis à se invicem etiam separari possint. Deinde nulla sane adest ratio, quæ evincat, hoc in genere aliter de elementis, ac de iis, quæ cernimus, corporibus esse sentiendum.

136 *Confirmatur.* Si elementum simplex posset implere dividuum quoddam spatium utut exiguum; non est ratio, cur non posset condi elementum simplex ac individuum, quod natura sua exigat implere spatium cujuspiam montis maximi: atqui istud sane ridiculum videtur.

Coroll. 1. Figuram limites extensionis determinant (77): atqui limites extensionis prorsus non habent locum in corporum elementis, utpote omni extensione carentibus; ergo elementa corporum seorsim sumpta nullius figuræ sunt.

Coroll. 2. Id quoque facile intelligitur, elementa corporum, eo ipso, quod simplicia, & simul inextensa sint, nulla omnino magnitudine gaudere, sive vocabulo *magnitudinis* extensio quæcunque, seu multitudo partium, totum aliquod efficientium designetur. (64)

Schol. 1. Neque dicas ex eo, quod singula corpora, quæ sub sensus cadunt, extensa esse deprehendantur, juxta leges inductionis inferre licere, ipsa etiam elementa corporum extensa esse. Nam in corporibus sola *formalis* extensio (77. *Schol.*), à multitudine partium de-

pendens, notatur; adeoque vi inductionis extensio *formalis*, non autem *virtualis*, deberet à corporibus ad elementa extendi: at ad elementa simplicia utique neque *formalis* extendi potest. (*Log.* 137.)

Schol. 2. Inextensa corporum elementa solent etiam *materiæ puncta* nominari.

137 Quæri etiam solet, an omnia corporum elementa sint homogenea, sibique simillima? Ad quam quæstionem hoc loco sequentibus respondere satis erit. Nempe. 1) Si ponantur plura individua perfecte esse similia; ac solo numero differre, nulla inde potest exsculpi contradictio, neque potest ostendi; procreationem plurium id genus homogeneorum individuorum ulli perfectioni Divinæ repugnare: non possumus ergo adserere, id prorsus esse impossibile, ut omnia corporum elementa sint inter se homogenea, sibique simillima. 2) Si elementa essent heterogenea; deberent vel figura, vel magnitudine, vel denique viribus quibusdam discriminari. Prima duo elementis simplicibus, & prorsus inextensis convenire haud possunt (*præc. cor.* 1., & 2.), ac proinde ea nec figura, nec magnitudine possunt inter se differre: an autem in diversis elementis diversæ vires, vel potius in omnibus eædem sint admittendæ, ita ut nec hoc quidem è capite ulla inter eadem intercedat heterogeneitas, in Physica erit statuendi locus. Nihilominus eorum objectiones, qui prorsus impossibile esse contendunt, ut vel duo quæcumque elementa sint homogenea, sibique simillima, jam nunc sunt diluendæ, quæ sunt sequentes potissimum.

138 *Objic.* 1.) Ad infinitam Dei fœcunditatem pertinet, tot diversa, & dissimilia entium genera producere, quot numero entia producet: ergo ex perfecta duorum entium similitudine in Deo fœcundissimo defectus quidam consequeretur. 2) Si bina elementa essent omnino sibi simillima; non esset ulla ratio sufficiens, cur unum eorum esset in suo potius, quam alterius loco. 3.) Unum duorum homogeneorum elementorum ne Deus quidem posset ab altero discernere. 4.) Nunquam deprehendemus vel duo corpora, usquequaque sibi similia. Sic ne in vastissimis quidem sylvis repereris, vel duo, ejusdem licet arboris folia, quæ nulla omnino ex parte essent dissimilia; ergo dissimilitudo hæc ope inductionis ad ipsa etiam elementa porrigi debet.

℞. Ad 1.*mum N. ant.* Nam ad infinitam Dei fœcunditatem id solum pertinet, ut *possit* innumera entia, quæ proprietatibus discrepent, condere; non autem, ut re ipsa etiam semper dissimilia condat. Profecto magis commendat Divinam potentiam, & fœcunditatem, non tantum diversissima rerum genera, sed præterea innumera in quolibet genere individua posse condere, quam si ab ea nonnisi generum varietas proficisci posset.

Ad 2.*dum* Ajo, uni eorum unum, alteri alterum *localem* existendi modum, alibi describendum, obvenire posse, neque solere considerari in elementis hoc discrimen, dum de eorum homogeneitate agitur.

Ad 3.*tium* ℞. *N. adsertum.* Tametsi enim ponamus duo elementa esse omni ex parte similia, ea tamen numero inter se different; cur ergo Deus infinita perspicacitate sua non posset pervidere intimam illam utriusque naturam, qua tam hoc, quam illud efficiatur id ipsum individuum, quod est, ac proinde cur unum ab altero discernere nequiret?

Ad 4.*tum. C. ant. N. cons.* Omnis enim ea varietas, quam in corporibus cernimus, à diversa partium conjugatione proficiscitur: quod nimirum nunquam eveniat, ut diversæ insensibilium (sed tamen è pluribus jam elementis compositarum) particularum *species* eadem proportione, & eodem prorsus modo sint consociatæ in uno, & altero corpore. Hinc ea corporum constitutio, quæ dictæ dissimilitudinis radix est, inter relativas proprietates est referenda; quas ope inductionis ad simplicia corporum elementa extendi non posse, jam in Logica num. 137 diximus.

Schol. Quomodo è simplicibus elementis, tametsi omnia ponantur esse homogenea, sibique simillima, possint componi diversissima hæc, quæ cernimus corpora, in Physica Generali clare patebit.

CAPUT TERTIUM.

De continuo, & contiguo.

139 *Continuum* est id genus extensum, cujus partes sic continuantur, ut aliæ iisdem interseri nequeant. Dividitur in mathematicum, & physicum. *Continuum mathematicum*, quod aliqui *metaphysicum* nominant, est, cujus partibus nulli reapse hiatus sunt interjecti, seu quod *stricte* continuum est. e. g. Tempus: linea nuspiam interrupto fluxu puncti generata. *Physicum* dicitur, cujus partes nonnisi judicio sensuum continuantur ita, ut nihil eis interseri possit, reapse autem exiguis quibusdam intervallis, sensus nostros effugientibus sejunctæ sunt.

140 *Contigua* dicuntur illa, quæ se se mutuo contingunt. Porro attactus alter est mathematicus, alter physicus. Attactus *mathematicus* eorum est, quæ se se *reapse* contingunt, seu ita, ut nullo prorsus intervallo sejungantur, *physicus* vero inter illa datur, quæ reapse distant inter se, verum tam exiguo intervallo, ut mutua ipsorum distantia ope sensuum discerni non possit.

141 Propositio I. Ens simplex ac inextensum alteri simplici ac inextenso non potest esse contiguum, quin compenetrentur. Sint enim in linea recta AB (*Fig.* 1.), si fieri potest, e. g. duo materiæ puncta C&D, se se contingentia, nec tamen compenetrata. Ponatur deinde punctum C manere immotum, punctum vero D in eadem linea recta versus A tantisper promoveri, ut cum puncto C compenetrari intelligatur. His positis sic ratiocinor: Ante compenetrationem vel totum punctum C à toto puncto D ex integro contingebatur, ita nimirum, ut nihil sit in puncto C, quod non tangeretur à toto puncto D, & vicissim, vel in alterutro aliquid inerat, quod ab altero toto non contingebatur. Si primum: palam est, post factam puncti D versus A adductionem non perdurare priorem illum adæquatum contactum, ac proinde ea adductione contra hypothesim potius sublatam esse, quàm effectam punctorum C & D compenetrationem, quod absurdum est. Sin alterum; adsumpta materiæ puncta nequeunt esse simplicia, & prorsus inextensa; qua enim ratione fieri posset, ut duo materiæ puncta simplicia, & inextensa se se ex aliqua duntaxat parte, & non ex toto contingant? Fig. 1.

Idem argumentum hoc quoque modo proponi potest. Ponamus duo illa materiæ puncta C & D uno eo-

demque individuo spatii puncto contineri, adeoque esse compenetrata. Ea ex integro se se contingent ita, ut nihil sit in puncto C, quod non contingatur à toto puncto D, & vicissim. Porro ponamus puncto C immoto punctum D versus B tantisper removeri, nempe quantum neces-se esse existimas, ut eadem puncta cessante priori compenetratione jam in duobus diversis spatii punctis existant, sed tamen se se contingant. Evidens sane est, post hanc puncti D à puncto C remotionem, non amplius remanere priorem illum adæquatum contactum; is enim utique minimo quovis unius puncti ab altero recessu turbari debet: ergo post eam puncti D à puncto C remotionem puncta illa non amplius contingent se se ex integro ita, ut nihil sit in puncto C, quod non tangatur à toto D. Atqui puncta inextensa nequeunt se se contingere, nisi ex integro; post dictam ergo remotionem se se puncta illa prorsus non contingent. Unde "sibi ipsi vim "inferat, oportet (inquit Boscovi-"chius) qui punctum puncto conti-"guum concipiat, & tamen extra "ipsum positum, nec compenetra-"tum. Concipit globulos quosdam "extensos, qui globuli ex una par-"te se contingant, ex alia à se re-"cedant, ubi partes ejusdem punc-"ti admittet, & indivisibilitatis, ac "inextensionis ideam destruet."

142 *Confirmatur.* Geometria variis modis demonstrat, ex inextensis punctis mathematicis sibi contiguis nequaquam posse componi ullam extensionem continuam, ac proinde punctum non esse partem lineæ continuæ, sed terminum duntaxat (*a*): atqui, si duo inextensa materiæ puncta se se contingerent, quin compenetrentur, profecto duo illa puncta mathematica, quæ à realibus illis materiæ punctis occupari conciperemus, essent contigua, & exiguam quandam lineolam continuam constituerent: ergo duo inextensa materiæ puncta nequeunt sese contingere, quin compenetrentur.

Coroll. In corporibus ergo elementa inextensa se se reapse non contingunt, adeoque nullum corpus est *mathematice* continuum. Eadem nihilominus elementa ope certarum virium cohærere inter se posse, in Physica explicatur.

143 *Objic.* Puncta materiæ, quamvis inextensa sint, possunt tamen esse impenetrabilitate prædita: ergo possunt se se contingere, quin idcirco debeant compenetrari.

℞. *D. ant.* Possunt esse ea impenetrabilitate prædita, vi cujus arceantur ab attactu mutuo *C. ant.* vi cujus fieri possit, ut unum materiæ punctum è loco suo arceat illud alterum, quod reapse contingit *N. ant.* & *cons.* Impenetrabilitas inextensorum materiæ punctorum sita esse potest in quibusdam eorundem viribus, ut vocari solent, *repulsivis*,

---

(*a*) *E. g. Componantur, si fieri potest, ex individuis punctis sibi continguis duo circuli concentrici. Exterior constet e. g. mille, interior centum idgenus punctis. E quolibet exterioris puncto duci poterit recta ad commune centrum. Rectæ hæ, quæ erunt numero mille, nonnisi in communi illo, quo ducuntur, centro convenient, ut è Geometria notum est* (Geom. 73). *Quælibet ergo earum per aliud, & aliud interioris circuli punctum transibit; ac proinde interior ille circulus, qui centum duntaxat punctis constare ponitur, minimum mille puncta in se continebit, quod absurdum est.*

quæ mutuo eorum attactui adversentur. At ejusmodi impenetrabilitate prædita esse inextensa materiæ puncta, ut se se contingant, & tamen compenetrationi mutuæ resistant, res contradictionis plena est. Ex attactu enim mutuo sequeretur, puncta illa debere compenetrari, uti hactenus ostendimus; ex impenetrabilitate inferretur, eadem compenetrari non posse.

144 PROPOSITIO II. Terminus continui, quatenus terminus est, caret partibus. Si enim in eo genere, in quo est terminus, haberet partes, jam non totus esset terminus, sed ultima duntaxat ejus pars veniret hoc nomine: quia sola hæc esset extremus extensionis limes (76. 77).

Coroll. 1. Igitur terminus lineæ est punctum individuum; temporis autem momentum individuum: superficiei, seu latitudinis est linea carens latitudine; solidi denique (seu trina dimensione, scilicet in longum, latum, & profundum gaudentis) terminus est superficies omni profunditate destituta.

Coroll. 2. Quoniam termini in eo genere, in quo sunt termini, omni prorsus extensione carent; si duo termini ad attactum mutuum deveniant, perfecte congruent, inque unum terminum abibunt: non secus, atque de punctis individuis locuti sumus n. 141. Igitur duo termini in continuo nequeunt esse contigui.

Coroll. 3. Nequit ergo contiguum esse punctum puncto in linea; momentum momento in tempore. Hinc quæcunque duo puncta designes animo in linea quapiam, inter illa intercedet lineola quædam continua. Eodem modo, quæcunque diversa duo momenta concipias in tempore, inter illa continuum quoddam tempus intererit. Eadem ratione patet, lineam lineæ in superficie; superficiem superficiei in solido contiguam esse non posse: ac proinde inter quaslibet binas continuæ superficiei lineas superficiem; inter quaslibet binas continui solidi superficies solidum intercipi debere.

Coroll. 4. In qualibet definitæ longitudinis linea dari primum, & ultimum punctum, patet; at secundum, vel penultimum nullum est. Quodcunque enim punctum statuas e. g. pro secundo, inter primum, & alterum hoc punctum, quod secundum esse vis, intercedet continua quædam lineola (*Cor.* 3.): adeoque punctum illud non esset secundum, quod adsumptioni repugnat.

Coroll. 5. Eodem modo patet, in quovis definito tempore dari primum, & ultimum momentum, non item secundum, & penultimum: in superficie suis limitibus definita adesse primam, & ultimam lineam, non tamen secundam, vel penultimam &c.

145 PROPOSITIO III. Quemcunque terminum animo designes in continuo, quo istud in duas quascunque partes veluti dividatur; erit ille utrique parti communis; id est, erit & finis partis prioris, & simul initium posterioris. Adsumamus enim e. g. in linea continua A B (*Fig.* 1.) aliquem ejusmodi terminum, e. g. individuum punctum C, quo linea illa duas in partes dividi concipiatur. Ponamus illud esse terminum ultimum partis prioris. Si idem punctum non esset simul initium partis posterioris; pro hujus initio, seu termino primo deberet statui e. g. punctum D. Jam duo hi termini C & D contigui esse non possunt (*præc. cor.* 2.); igitur potest illis interseri quidpiam, quod nec ad priorem lineæ partem pertineat, cum hæc terminetur in C; nec ad posteriorem,

cum ejus initium ponatur esse in D: ac proinde linea AB, contra quam assumptum est, mathematice continua non erit (139). Eodem modo patet, quodlibet momentum in tempore conceptum, esse communem duarum illius temporis partium limitem, ac terminum; item lineam, qua superficies aliqua continua in duas partes dividi concipitur, ad partem utramque pertinere &c.

146. Propositio IV. Quælibet linea continua duobus terminis interjecta, in minores semper, & minores lineolas sine ullo fine dividi potest. Pariter quodlibet definitum tempus in minora semper, & minora tempuscula sine ullo fine dividuum est. *Prima pars prob.* Utcunque exiguo intervallo distent inter se duo materiæ puncta A & B (*Fig.* 2.); si medio inter illa loco collocetur in eadem linea recta tertium punctum C, istud ad neutrius attactum deveniet, verum ab utroque intervallo quodam distabit. Si enim ad unius attactum veniret; eodem jure contingeret & alterum, cum ad ipsum intervalli medium collocari ponatur: hinc cum utroque compenetraretur (141), ac proinde tria puncta A, B, C, reapse uno eodemque individuo loci puncto continerentur, id est, puncta A & B nullo intervallo distarent inter se, quod adsumptæ hypothesi repugnat. Eodem modo patet, inter puncta A & C loco medio collocari posse novum punctum *d*, & inter puncta C & B punctum *e*, quin ullum eorum ab altero contingatur: quod si fiat, adsumptum intervallum A B in alia minora quatuor intervalla abibit, nempe in A*d*, *d*C, C*e*, *e*B. Jam rursus in cujuslibet hujus intervalli medio poterit aliud materiæ punctum collocari, quin ullus punctorum attactus consequatur, ut evincit demonstratio nunc proposita. Quæ argumentandi ratio quia sine fine continuari potest, manifestum est, nullum posse cogitari definitum materiæ punctorum numerum, quo major interseri non possit immotis punctis A & B, utcunque exiguo intervallo sejunctis, quin ullus debeat consequi punctorum attactus mutuus, & compenetratio. Atqui istud tantundem est, ac quamlibet lineam continuam duobus terminis interjectam, utcunque exigua ea sit, in minores semper, & minores lineolas sine ullo fine dividi posse; quum enim aimus lineam continuam sine fine dividuam esse, nomine *divisibilitatis* nihil aliud, quam (ut ita dicam) *interseribilitatem* punctorum realium intelligimus.

Fig. 2.

Geometricam hujus divisibilitatis demonstrationem vide Geometriæ nostræ n. 170. & 171.

Prob. altera pars. Ponamus quoddam materiæ punctum ab A versus B. (*Fig. ead.*) moveri, ita ut rectam AB intra minutum secundum percurrat. Illud quamlibet lineæ A B partem alia & alia adsumpti illius minuti secundi parte percurrat, oportet; nam una, eademque temporis parte in diversis ejus lineæ partibus versari servatis naturæ legibus non potest: ergo quemadmodum linea AB sine fine dividua est, ita etiam exiguum illud tempus, quo eam percurri ponimus, sine ullo fine dividuum sit, est necesse.

Coroll. 1. Si in eo argumentandi genere, quo superius usi sumus, punctis inextensis substituas lineas latitudine, aut superficies profunditate destitutas; nullo negotio intelliges, superficiem duabus lineis interjectam in alias minores superficies, solidum continuum duabus superficiebus terminatum in alia minora solida sine ullo fine dividi posse. Quare universe concludere licet:

quodlibet continui genus esse sine fine dividuum.

Coroll. 2. Detur spatium utcunque magnum dato tempore utcunque parvo percurrendum. Si spatium illud in quotcunque partes exiguas dividi concipiamus; semper in totidem partes dividi poterit etiam datum illud tempus exiguum. Hinc singulis spatii partibus utcunque exiguis semper singulæ dati temporis partes inter se distinctæ respondere poterunt; ac proinde non erit unquam consequens, ut à mobili id genus ingens spatium dato exiguo tempusculo percurrente, una eademque tempusculi illius parte plures simul diversæ spatii illius partes percurri debeant. Quemadmodum ex adverso eveniret, si sublata continui in infinitum divisibilitate, spatium percurrendum e. g. 1000. minimis partibus constaret, tempusculum autem datum nonnisi 10 minimas partes complecteretur. Stante ergo continui in infinitum divisibilitate non est, cur ingens quodcunque spatium quocunque exiguo tempusculo ab aliquo mobili percurri nequeat (*a*).

Schol. Ex his tamen minime se-

(*a*) "*Infiniti ideam non habemus (inquit Cl. s' Gravesande* Phys. Elem. Math. „l. I. c. IV. Schol. I.); *ideo ideis non assequimur, quæ de infinito demonstra*„*mus: quæ tamen ex indubitatis principiis immediate sequuntur, certa sunt, &,* „*quæ ex hisce deducuntur, etiam in dubium revocari nequeunt.*" *Quare Tironibus fere sufficiet, demonstrationes hactenus positas rite penetrasse: in argutiis autem Adversariorum sequi poterunt eam disputandi regulam, quam Cl. Antonius Genuensis* Artis Logico-Crit. cap. 10 *his verbis proponit:* "*Qui negat, si demons*„*tret partem adversam esse* impossibilem, *partes suas plene fecit, nec tenetur* „*solvere objectiones adversas: nam rationes, quibus rem impossibilem esse proba*„*re conamur, nequeunt esse, nisi mera sophismata.*" *Si etiam quis à Geometra exigat, ut is, postquam demonstravit, crura hyperbolæ continenter accedere ad suas asymptotos, neque tamen posse uspiam cum iisdem concurrere, omnes* Ageometrarum *scrupulos, ac difficultates minutatim, dilucideque refellere teneatur? Nihilominus ad aliquas objectiones respondere lubet. Itaque.*

Obj. 1.mo. *Si quodlibet spatium esset sine fine dividuum, dato tempore finito ne minimum quidem spatium posset percurri: atqui istud experientiæ adversatur;* ergo &c. P. maj. *Minimum quodque spatium complecteretur partes numero infinitas; ergo dato tempore haud posset percurri.*

℞. N. maj. *Ad prob.* D. ant. *Minimum quodque spatium complecteretur partes numero infinitas, quarum quælibet sit definitæ magnitudinis* N. ant. *quarum quælibet sit infinite, vel potius indefinite parva, seu ut* Geometræ *nominant, infinitesima* C. ant. & N. cons. *Nullum spatium potest ejusm. partes, quarum unaquæque definitæ magnitudinis sit, numero infinitas continere. Sit enim spatium illud A B* (Fig. 1.); *concipiatur in ea pars, quam potest minima, sed tamen definita: e. g. C D: pars hæc aliquoties sumpta exhauriet totam lineam A B, ac proinde illa in linea hac infinitis vicibus contineri omnino non potest. Quod autem idem spatium ejusmodi partes, quarum quævis infinite parva sit, numero infinitas contineat, nihil officit. Nam quælibet ejusmodi pars percurri potest tempusculo itidem infinite parvo: in quovis autem definito tempore hujusmodi tempuscula sunt numero infinita; non est ergo ratio, cur tota ejusmodi partium spatii collectio definito tempore nequeat percurri.* "*Neque obstat, quod objecit quondam Epicurus,* Fig. 1.

quitur, etiam corpus quodlibet sine fine dividuum esse quin unquam in eo ad quædam elementa simplicia, & inextensa deveniatur. Cum enim nullum corpus sit mathematice continuum (142 cor.); sit quoddam corpus æquale lineæ A B (Fig. 2.), constetque e. g. quinque individuis punctis A, *d*, C, *e*, B, inter se distantibus. Dividatur primo corpus illud in duas partes, quarum altera contineat tria puncta A, *d*, C, altera autem reliqua duo *e*, & B. Utraque hæc pars subdividi poterit in novas partes reales; prior in tres, posterior in duas, sed ita, ut jam quælibet nova pars nonnisi unico materiæ puncto constet. Hinc ulteriores divisiones sine fine continuandæ non amplius realium corporis partium erunt, sed intervallorum, dictis quinque materiæ punctis interjectorum.

Fig. 2.

147. Propositio V. Continuum ex suis terminis, tanquam partibus componi nullo modo potest. Nam secus sequeretur, ex pluribus id genus terminis, sibi additis, & adglomeratis posse conflari continuum: atqui istud admitti nequit. Ii enim se se

"*contineri sic infinitum in finito; sensu enim geometrico hoc non est impossibile,* "*sed in omni dimensionum genere fit, uti modo demonstravimus: ita in triangulo* "*finito infinitus continetur punctorum numerus; in prismate triangulari finito in*"*finitus triangulorum numerus, & sic porro in extensione superioris generis sem*"*per est infinitum inferioris.*" Krafft Phys. tom. 1. §. 22.

Schol. *Ceterum advertendum est, e. g. lineam quampiam esse sine fine dividuam, non esse aliud, quam ejus duobus extremis terminis plura & plura sine fine materiæ puncta interseri posse. Porro quotcunque materiæ puncta ponas iis interseri, nunquam ita imminuentur intervalla; ut reapse evadant infinite parva: ergo non potest dici, spatium proprie constare quibusdam partibus infinite parvis. Quia tamen nulli possunt adsignari limites, ultra quos non possint ea intervalla imminui novorum materiæ punctorum interpositione, fundamentum præbetur nobis, ita imminuendi nostro concipiendi modo partes spatii, ut ab omni definito limite mentem abstrahamus. Quod ubi præstamus, quælibet id genus pars erit infinite, vel potius indefinite parva; at juxta nostrum duntaxat concipiendi modum.*

Obj. 2.do *Si linea quælibet sine fine dividua esset, sequeretur, quamlibet lineam minimam æqualem esse alteri maximæ, quod absurdum est.* P. ant. *Sint duæ lineæ, quarum una sit æqualis digito, altera pedi geometrico. Utraque partes infinitesimas contineret numero infinitas, & quælibet infinitesima lineæ minoris esset æqualis cuilibet infinitesimæ lineæ majoris: ergo duæ illæ lineæ essent æquales.*

℞. N. ant. *Ad prob.* N. alt. memb. ant. & *ajo: infinitesimam pedis majorem fore infinitesima digiti. Sint enim duæ lineæ inæquales, e. g. digitus, & pes geometricus. Utraque dividatur in aliquot partes æquales, ita tamen; ut numerus partium utrobique sit idem, e. g.* = 10. *Quoniam evidens est ex Geometria, partes* similes duorum totorum esse ut tota ipsa; *quælibet decima pedis pars erit ad quamlibet decimam digiti partem, ut est totus pes ad totum digitum. Porro concipe hunc utriusque lineæ partibus communem numerum, ut lubet, augeri; dicta inter partes proportio nunquam turbabitur: consequenter etiam infinitesima pedis pars erit ad infinitesimam digiti, ut totus pes ad digitum totum.*

Urgeb. *Si pes dividatur in partes infinitas æquales, & decempeda etiam ita dividatur, ut pars unaquæque decempedæ sit æqualis parti unius pedis; numerus*

contingere non possent in eo continuo (144. *cor.* 2.); si autem certis intervallis distarent inter se, totum ex iis conflatum non esset continuum, intellige mathematicum (138). Igitur continuum ex suis terminis, tanquam partibus componi nullo modo potest.

Coroll. 1. Igitur utcunque exiguam lineolam animo designes, hæc non ex punctis, sed ex aliis minoribus lineolis sine ullo fine dividuis componetur: si enim in divisione lineæ ad individua puncta aliquando deveniretur; eo ipso continuum ex suis terminis, tanquam partibus componi deberet. "Si post quotcunque „sectiones lineæ alicujus pervenires „ad partem ulterius insecabilem; „hæc certe esset punctum, quod so„lum insecabile est in linea: sed ita „linea constaret ex certo numero „punctorum, quod absurdum est „Geometris. Idem hoc applicari po„test ad superficies, & corpora Geo„metrica." Cl. Krafft. *Prælect. Acad. in Physicam* t. 1. §. 22.

Coroll. 2. Pariter tempusculum unumquodque non ex momentis, sed ex aliis tempusculis minoribus tanquam partibus suis consurgit. Unde "linea continua, & tempus „continuum generari intelliguntur, „non repetitione puncti, vel mo„menti, sed *ductu continuo*; in quo „intervalla alia aliorum sint partes, „non ipsa puncta, vel momenta, „quæ continuo ducuntur." *Boscov. supp. in L.* 1. *Stay.* §. VI.

CAPUT QUARTUM.

De loco, spatio, & tempore; ubi etiam de replicatione, & compenetratione.

148 *Locus* entis est id, per quod respondetur ad interrogationem *ubi.* Dividitur in absolutum, & comparativum. *Absolutus* est, qui fixus concipitur absque ullo ad alia entia, quæ enti locum illum occupanti coexistunt, respectu. *Comparativus* pendet à certa positione entis, cum aliis ipsi coexistentibus comparati: unde etiam determinatur per distantias, quæ inter illud ens, & alia tria, vel plura ipsi coexistentia, non in eadem linea recta posita intercedunt. Sic locum comparativum Urbis Budensis intelliget quispiam, si e. g. cognito prius situ Strigonii, Albæ Regiæ, & Vaciæ, edoceatur, quotnam illa milliaribus ab unaquaque harum urbium distet.

Coroll. 1. Locus absolutus entis

---

partium in decempeda erit decuplus numeri partium in pede: consequenter, cum numerus partium in pede sit infinitus, erit numerus partium in decempeda decuplus hujus numeri infiniti: sequetur ergo, unum infinitum altero posse esse majus. Atqui sequela hæc absurda est; ergo adhuc nequit dici, quamlibet lineam esse sine fine dividuam.

℞. Concesso enthymemate N. subs. min. "*Unde notum est Adversariis hoc „esse absurdum? an contradicit axiomati alicui vulgo recepto? Nequaquam me „hercule; nullum enim est axioma, quod omnia infinita æqualia ponit: nec infini„ti naturæ repugnat, ut ab alio infinito superetur.*" *Cl. Keill.* Introd. ad veram Phys lect. 4. *Nempe infinito generaliter considerato non sunt tribuendæ proprietates quantitatis determinatæ inquit s' Gravesande*, *qui* Phys. Elem. l. I. c. IV. Schol. 2. *infinitorum* inæqualitatem *evidenter demonstrat.*

mutari potest, quin simul mutari debeat comparativus. Si enim e. g. in systemate Telluris motæ corpora terrestria motu communi ferantur ita, ut mutuas inter se distantias non mutent; absoluta sua loca continenter variant, non item comparativa.

Coroll. 2. Potest fieri, ut ens locum suum comparativum retineat relate ad aliqua entia ipsi coexistentia, mutet vero relate ad alia. e. gr. Urbs Tyrnaviensis constanter retinet locum suum comparativum relate ad alias urbes, mutat vero relate ad astra.

149 Spatium tribui solet in reale, & imaginarium. Spatium, quod e. g. in foro hujus Urbis cernimus, *reale* est; quod vero ultra hunc mundum sine fine porrigi concipimus, est *imaginarium*. Tempus pariter in reale, & imaginarium dispesci solet. Tempus *reale* est, quod reapse fluit, aut fluxit: *imaginarium* vero, cujus meram possibilitatem animo sistimus.

150 Sunt, qui spatium illud, quod imaginarium vocamus, putent reapse exstare etiam nulla re existente, dicantque esse *realem* quandam capacitatem, continuam, æternam, immensam. At horum opinationem sustineri non posse, facile patet. Nam id genus realis capacitas profecto neque substantia, neque accidens dici potest, ac proinde commentitia est. Quid, quod ejusmodi proprietatibus prædita esse deberet, quæ nonnisi Deo convenire possunt, ut est existentia æterna ex quadam naturæ necessitate proficiscens?

151 Leibnitzio, & Wolffio reale spatium est ordo coexistentium, ubi primum extra secundum, hoc extra tertium, & ita porro concipimus: locus vero iisdem est determinatus ceteris coexistendi modus, quo unum aliis ita coexistit, ut nullum aliud modo illo coexistat iisdem. e. gr. In foro hujus Urbis dicunt propterea dari reale quoddam spatium, quod complura undique ædificia simul existentia certam quandam relationem, certumque in coexistendo ordinem inter se habeant. Deinde, inquiunt, cum ædificia hæc sibi invicem coexistunt, quodlibet eorum certum quendam, & determinatum ceteris coexistendi modum obtinet, qui pro ejusdem loco haberi debeat.

152 Atque hac quidem ratione spatium, ac locum congrue explicari fatendum est; dummodo nomine certi illius, ac determinati existendi modi, quem pro loco cujuspiam e. gr. materiæ puncti habes, intelligas aliquid mutabile in ipso materiæ puncto, quod fundamentum præbeat realis relationis determinatarum ab aliis materiæ punctis distantiarum, ita ut duo materiæ puncta determinatam habere distantiam tantundem sit, ac ea determinatis quibusdam existendi modis (quos nos deinceps *locales* existendi modos vocabimus) prædita esse, quos necessario mutent, ubi eam distantiam mutant. " Sive is modus dicatur res „(inquit Boscovichius), sive modus „rei, sive aliquid, sive nonnihil; is „extra nostram imaginationem exis„tere debet, & res ipsum mutare „potest, habens jam alium ejusmodi „existendi modum, jam alium." Si enim ordo ille, qui spatium constituit, haberetur tantum per res ipsas, quæ ordinem illum habent; quotiescunque res illæ existerent, eodem semper illo ordine existerent, ac proinde locum nunquam mutarent. Imo admisso etiam spatio illo reali, æterno, quod n. 153. commemoravimus, ratio, cur ens quodpiam existat in ejus spatii determinata qua-

piam parte A, non habetur tantummodo per essentiam, existentiamque entis illius, & spatii partem A; secus enim quotiescunque existeret ens illud, & spatii pars A; semper ens illud in spatii parte A existeret: ergo hac quoque in sententia agnoscendus est in eo ente realis quidam existendi modus, per quem ens illud potius existat in spatii dicti parte A, quam alibi. Itaque.

153 I. Locus *absolutus* materiæ puncti consistit in ipso ejusdem locali existendi modo. Hinc tametsi totum hoc universum in nihilum redigeretur, unico duntaxat materiæ puncto A remanente; adhuc punctum hoc in reali, non pure imaginario, loco existeret: quia realem aliquem existendi modum localem haberet, qui tametsi tunc quidem non induceret ullam realem distantiæ relationem, fere uti albedo parietis A relationem similitudinis cum pariete B inducere nequit, nisi paries B itidem albus existat; esset tamen aptus ad eam sub hac hypothesi inducendam: *si aliud quoque materiæ punctum existeret.* Certe si ponamus in posito casu ad existentiam pervenire alterum quoque materiæ punctum B, ab A certo intervallo distans; ratio fundandi *relationis* distantiæ mutuæ non esset sita in ipsis materiæ punctorum substantiis; secus enim nunquam possent duo illa materiæ puncta coexistere, nisi cum determinata illa distantia mutua: ergo in ipsis eorundem localibus existendi modis, hactenus expositis; sita esse deberet.

Coroll. 1. Quoniam clarum est, absolutum corporis locum non esse discernendum ab absolutis omnium suorum materiæ punctorum locis simul sumptis; absolutus corporis locus in omnibus illis localibus existendi modis simul sumptis, qui materiæ punctis ipsum constituentibus conveniunt, consistat, est necesse.

Coroll. 2. Locus comparativus pendet à positione entis, cum aliis ipsi coexistentibus comparati (148); igitur comparativus entis locus intelligitur, si intelligantur distantiæ, quas ens ab aliis pluribus circumsitis entibus habet. Unde patet, locum entis comparativum esse reipsa ejus *situm.*

154 *Dices* cum Lockio. *Existere* non habet necessariam connexionem cum loco reali, sed ea necessitas primum oritur ex hypothesi, si plura coexistant; ut adeo aliud sit *existere*, aliud *coexistere*, sive ut idem Lockius loquitur, *situari* vel *collocari*: ergo si unicum duntaxat materiæ punctum maneret superstes reliquo universo in nihilum redacto; illud existeret quidem per se, & in se, non existeret tamen in loco reali, quia non *situaretur.*

℞. *D. ant.* Non habet necessariam connexionem cum loco reali comparativo *C. ant.* absoluto *N. ant.* & *cons.* Qui positæ objectioni vim inesse existimant, dum realem entis locum ajunt esse modum, quo illud ceteris *coexistit*, his verbis relationem determinatæ positionis, *situationis*que intelligunt. At relationis hujus fundamentum in essentia materiæ punctorum consistere utique non potest; secus enim quandocunque plura e. g. materiæ puncta simul existerent, semper determinato illo modo sibi coexistere, *situarique* deberent, quod tamen sustineri nequit. Igitur dictæ relationis fundamentum in realibus quibusdam existendi modis localibus, hactenus à nobis descriptis consistere agnoscant, oportet; aut certe admittent relationem realem sine ulla ratione fundandi, ac proinde sine ratione sufficiente; quod perquam absurdum est.

Urg. Modus potest abesse ab ente, salva hujus essentia (33); ergo adhuc *existere* non habet prorsus necessariam connexionem cum loco reali: ℞. *D. ant.* Modus potest &c. Hoc est, quilibet modus seorsim consideratus potest abesse ab ente, salva hujus essentia *C. ant.* Hoc est, potest fieri, ut ens creatum absque omni modo existat. *N. ant.* & *cons.* Sic etiam figura quævis seorsim considerata potest abesse à cera, & tamen cera sine omni figura existere non potest.

155 II. Reale spatium consurgit ex omnibus illis localibus existendi modis simul sumptis, qui ad certam materiæ punctorum collectionem pertinent; ita ut tunc obtineamus determinati spatii realis notionem, quum omnes eas distantiarum, ac positionum reales relationes, quas in determinata quadam materiæ punctorum collectione quorumlibet binorum materiæ punctorum locales existendi modi inducunt, confuse concipimus. Secus enim spatium reale in reali illa capacitate æterna, immensa, quam n. 150. rejecimus, situm esse deberet.

Coroll. Igitur spatium reale non est continuum mathematicum: nam realia loci puncta, per quæ spatium reale constituitur, non sunt sibi contigua, sed quælibet bina ipsorum fundamentum præbent realis relationis distantiæ determinatæ.

Schol. Etsi spatium reale, quod e. g. in foro hujus Urbis est, per omnes distantiarum relationes constituatur, quas inducunt quorumlibet binorum elementorum, eodem pertinentium locales existendi modi; nihilominus dum ejusdem notionem efformare volumus, potissimum extremos illius terminos consideramus, ut adeo fere illæ solum distantiarum relationes, quæ à circumsitorum ædificiorum existendi modis inducuntur, dicti spatii notionem in mente nostra absolvant. Porro localis existendi modus ædificii cujuslibet constat è localibus existendi modis elementorum omnium illud constituentium: at eo casu si non ædificium totum, saltem quamlibet ejus partem, cujus nempe diversi termini cum alterius ædificii parte quapiam collati per suos locales existendi modos easdem ad sensum distantiarum relationes inducunt, instar puncti unicum localem existendi modum habentis consideramus.

156 *Obj.* Sint in Fig. 2.da duo materiæ puncta A & B, certo intervallo inter se distantia, inter quæ nullum aliud materiæ punctum sit interjectum. Mutua horum distantia juxta hactenus dicta esse deberet mera relatio realis à binis eorundem localibus existendi modis inducta: atqui istud admitti nequit; ergo neque potest admitti hactenus data realis spatii explicatio.

Prob. min. Mutua punctorum illorum distantia dividi potest in duas æquales partes, si nempe iis loco medio interjiciatur tertium materiæ punctum C: atqui non posset sane, si esset mera relatio, à binis localibus existendi modis inducta; relatio enim in partes dividi nequit: ergo mutua dictorum punctorum distantia nequit esse relatio mera.

℞. *C. maj. N. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Mutua punctorum A & B distantia *stricte*, & *in sensu physico* dividi potest in duas æquales partes interpositione novi puncti C, ita nimirum, ut distantiæ A C, & C B sint re ipsa partes prioris distantiæ A B *Neg. maj.* Dividi potest quodam *minus* proprio sensu, ita nimirum, ut tametsi proprie verum non sit, distantias A C, & C B esse partes distantiæ A B; eædem tamen distantiæ A C, & C B simul sumptæ quodammodo æquiva-

leant distantiæ A B *C. maj.* sic *Dist. min. Neg. cons.* si duobus materiæ punctis A & B interjiciatur tertium C; " non erit re ipsa verum, inquit »Cl. Mako Ont. 128., binas distan»tias A C & B C esse partes distan»tiæ A B punctorum A & B; sed »erunt tres distinctæ reales distan»tiæ. Nempe relationem distantiæ »punctorum A & C constituent duo »reales modi existendi ipsorum, que»madmodum & relationem distan»tiæ punctorum B & C, A & B. Ul»tima hæc relatio constat duobus »modis realibus, tantummodo ad »puncta A & B pertinentibus; sum»ma vero priorum constat modis re»alibus omnium trium punctorum »A, C, B Igitur distantiæ A C, & B »C sunt partes intervalli A B solum »in statu imaginario, & geometri»co: geometra enim concipit abs»tracte omnes possibiles intermedios »existendi modos, intervallaque »continua, ac eorum partes adsig»nat, & ope id genus conceptuum »ratiocinationes contexit ab adsum»tis conditionibus pendentes; quæ »ubi demum ad aliquid reale dedu»cunt, non possint non ad verum »deducere, sed quod verum sit tan»tummodo, si vocabula rite intelli»gantur." Vide etiam Boscov. *Phil. Nat. Edit. Venetæ* n. 372. 373. 374.

157 III. Spatium imaginarium non aliud est, quam ipsa possibilitas omnium existendi modorum localium confuse cognita. Illud concipere solemus ut mathematice continuum, & infinitum. Nempe 1) ubi duo quæpiam materiæ puncta A & B (*Fig. ead.*) à se invicem distant, semper potest inter illa medio loco collocari aliud punctum C, quod neutrum continget: rursus inter hæc tria puncta possunt alia duo *d* & *e* interseri, & sic porro sine ullo fine (146). Quæ omnia possibilia loci puncta dum confuse nobis repræsentamus, concipimus quandam continuitatem cum divisibilitate in infinitum, aimusque inter materiæ puncta A & B intercedere vacuum quodpiam intervallum, continuum, sine fine dividuum. 2) Ultra puncta A & B utrinque concipimus collocari posse alia materiæ puncta, & ultra hæc rursus alia, & ita porro sine ullo fine: atque hoc modo interminatam imaginarii spatii extensionem animo sistimus, in sola localium existendi modorum possibilitate consistentem.

158 Tempus reale est ordo successivorum in serie continua. At quidnam sint hæc successiva, non æque pronum est determinare. Boscovichius in quolibet materiæ puncto præter *localem* existendi modum admittit præterea alterum quoque realem existendi modum *temporarium* quem *momentum temporis* nominat, quive cum alio ejusdem, aut alterius materiæ puncti temporario existendi modo fundamentum præbeat relationis realis certæ cujusdam distantiæ temporariæ, e. g. unius horæ, aut anni &c. Horum ergo temporariorum existendi modorum, quorum alii in una eademque substantia necessario existunt post alios, continua series sensu n. 147 *cor.* 2. exposito constituit ex mente Boscovichii cujusque substantiæ reale tempus proprium. Imaginarium tempus, e. g. quod ante mundi exordium concipimus, eidem est mera possibilitas temporariorum existendi modorum mente repræsentata; fere uti de spatio imaginario n. præc. locuti sumus. Vide ejusdem *Philosoph. Natur. Theor. in suppl.* §. 3.

Schol. Ea, quæ de spatio, loco, & tempore hactenus dicta sunt, facile ad res etiam immateriales creatas transferri possunt. Quod vero

ad Deum attinet : ipse suus locus, & sua æternitas est ; neque mutabiles illi existendi modi, quos ceteris entibus attribuimus, ei convenire possunt.

159 *Replicatio* est simultanea ejusdem entis in duobus, vel pluribus locis existentia : e. gr. si illud eodem temporis momento & Venetiis, & Budæ existat. Hinc ad replicationem requiritur, ut idem ens uno, eodemque temporis momento minimum duos diversos locales existendi modos habeat, quorum unus cum uno eodemque alterius entis locali existendi modo hanc, alter aliam mutuæ distantiæ, positionisque relationem inducat.

160 Replicationem naturaliter evenire non posse, eo fere modo probatur inductione ab iis corporibus, quæ in nostros sensus occurrunt, ducta, quo modo probavimus virtualem extensionem materiæ punctis non convenire (135). Nullum quippe corpus cernimus ex iis, quæ præ manibus habemus, eodem tempore plura distincta loca occupare. Eadem tamen per Divinam Omnipotentiam possibilis est. Ut enim e. g. materiæ punctum *replicetur*, satis est, si uno eodemque temporis momento duos diversos locales existendi modos habeat; in quo nulla sane repugnantia potest ostendi.

161 *Obj.* 1.*mo* Si idem materiæ punctum existeret e. g. Budæ, & simul Venetiis; separaretur à se ipso : ergo distingueretur a se ipso, quod absurdum est. 2.*do* Lumine naturæ notum est, ea distingui inter se, quæ eodem tempore in separatis locis existunt : ergo materiæ punctum, quod existeret Budæ, & simul Venetiis, adhuc distingueretur à se ipso. 3.*tio* Facta replicatione evenire posset, ut materiæ punctum contrarios habeat motus, e. gr. ab occasu in ortum in uno loco, in altero autem àb ortu in occasum: atqui istud repugnare videtur.

℞. *Ad* 1.*mum N. ant.* Nam illa dicuntur separari loco, quorum unum non est ibi, ubi est alterum : ac in posito replicationis casu idem materiæ punctum, quod esset Budæ, esset simul etiam Venetiis.

℞. *Ad* 2.*dum N. ant.* Nam illud est lumine naturæ notum, quod aliter esse absque manifesta contradictione non potest. Atqui ex unius ejusdemque entis in diversis simul locis existentia Adversarii profecto nullam poterant adhuc eruere manifestam contradictionem. Ceterum quia naturaliter id evenire nequit, *antecedens* distingui potest: Lumine naturæ notum est, servatis communibus naturæ legibus, ea semper distingui inter se, quæ eodem tempore in separatis locis existunt C. *ant.* Lumine naturæ notum est *absolute*, semper ea debere distingui inter se, quæ eodem tempore in separatis locis existunt *N. ant.* & *cons.*

℞. *Ad* 3.*tium* C. *maj. N. min.* Contrarios enim eodem tempore motus habere est habere duas quasdam continuas series localium existendi modorum, sibi succedentium : ex quo manifestam exculpere contradictionem frustra tentaveris.

Schol. Universe notandum est. Quod materiæ punctis ita, prout nunc existunt, sumptis non possint convenire prædicata quædam, quæ iisdem replicatis convenire possent, aut etiam deberent, propterea ex replicatione pugnantia minime sequuntur: multa enim nunc iis ob unitatem duntaxat loci repugnant; quorum proinde pugna per multiplicationem loci penitus tolleretur.

162 *Compenetratio* est simultanea duorum, aut plurium entium in eodem loco coexistentia : ut si duo

quæpiam materiæ puncta uno eodemque temporis momento unum idemque loci punctum occuparent. Unde ad compenetrationem e. g. duorum materiæ punctorum requireretur, ut tales habeant locales existendi modos, qui inducant relationem, ut ita loquar, distantiæ *nullius*. Jam compenetratio materiæ punctorum naturaliter quidem haberi non potest; per Divinam tamen omnipotentiam possibilis est. Ratio 1.*mi* est. Nam impenetrabilitas est proprietas *absoluta*, quæ à multitudine partium non pendet: ergo vi ejusdem inductionis, qua pro communi corporum proprietate statuitur (132), ad ipsa adeo elementa simplicia extendenda est. Ratio 2.*di* est. Quid enim vetat, quominus duo materiæ puncta possint per absolutam Dei potentiam ejusmodi locales existendi modos nancisci, qui inducant relationem distantiæ *nullius*?

CAPUT QUINTUM.

De motu, & viribus corporum.

§. I.

De motu.

163 Notio motus plurium rerum ideas excitat in nobis; ut ideam mobilis, spatii, temporis, celeritatis &c. *Mobile* est, quod movetur, aut moveri potest. Nomine *spatii* à mobili confecti venit linea illa, quæ ab eodem instar puncti considerato percurritur. *Tempus* hoc loco illud consideratur, quo motus durat.

164 Nempe motus unico momento perfici nequit, sed poscit quoddam continuum tempus. Ponamus enim, si fieri potest, quoddam materiæ punctum unico temporis momento absolvere motum suum, e. g. transitum è loci puncto A ad loci punctum Z. Inter hæc duo loci puncta intercedet continua quædam lineola (144. *cor.* 3.); quæ momento illo à dicto materiæ puncto percurri debeat: ergo illud materiæ punctum conjunget unum idemque momentum temporis cum serie continua punctorum loci, aliquo intervallo continuo contentorum; ac proinde non movebitur momento illo, sed potius virtualem extensionem nanciscetur, vi cujus per dividuum spatium diffundatur; quod adsumptioni repugnat.

165 Si mobile ita moveatur, ut æqualibus temporis partibus æquales spatii partes percurrat; motum habet *uniformem*, seu *æquabilem*: sin minus; motus ejusdem *difformis* nuncupatur. Motus difformis, in quo spatia æqualibus temporis partibus respondentia sensim crescunt, *acceleratus* dicitur; *retardatus* vero, si dicta spatia sensim decrescant.

166 Celeritas dividi potest in actualem, & potentialem. *Actualis* est quædam relatio spatii percursi divisi per tempus, quo percurritur; ut adeo celeritatem actualem semper exprimat quotus ille, qui acquiritur, si spatium percursum dividatur per tempus, quo percurritur. Celeritas *potentialis* est determinatio in mobili, vi cujus istud, si sibi ipsi relinqueretur nulla externa vi mutationem inducente, dato tempore determinatum spatium motu æquabili percurreret.

167 Celeritas actualis non potest haberi momento temporis, sed requirit tempus continuum, quo motus fiat, ut ex ipsa ejus notione patet: at potentialis habetur etiam momento quovis determinata. Corpus enim in motu constitutum profecto quovis temporis momento ha-

bet determinationem ad motum, vi cujus dato tempore determinatum spatium percurreret, si nulla externa vis motum ejusdem turbaret. Patebit istud è prima motus lege generali, paulo inferius adducenda.

168 *Massæ* nomine venit ipsa collectio elementorum mobile constituentium. *Volumen* est extensio mobilis in longum, latum, & profundum.

Coroll. In eodem volumine potest jam major, jam minor materiæ punctorum numerus contineri (146); massa ergo volumini proportione respondere non debet, sed evenire potest, ut volumen corporis A longe majus sit volumine corporis B, tametsi massa hujus massam illius millies & amplius exuperet.

169 *Quantitas motus*, seu totus corporis motus, est ut ejusdem massa ducta in celeritatem, singulis ejusdem partibus communem. Cum enim motus totius corporis sit æqualis summæ motuum singularum massæ partium; patet, manente eadem celeritate motum totius massæ crescere in ratione numeri elementorum eandem massam constituentium, seu quantitatem motus esse proportionalem massæ; deinde manente eadem massa profecto motus quantitas est in ratione celeritatis singulis massæ partibus communis. Itaque universe loquendo quantitas motus est in ratione composita massæ, & celeritatis, seu est ut massa in celeritatem ducta (*Algeb.* 198.)

Coroll. Quodsi ergo quantitas motus dicatur Q, massa M, celeritas C; est $Q = M C$.

170. *Linea directionis*, vel *directio* est ea linea, juxta quam mobile progreditur, vel progredi nititur.

Coroll. Idem mobile nequit simul duabus diversis viis incedere; duas ergo diversas directiones simul habere non potest.

171 Dum mobile ad motum determinatur, peculiarem nanciscitur & celeritatem, & directionem secundum certas, ac stabiles leges, quæ *Leges motus* nuncupantur. Harum magis præcipuæ, ac generales sunt sequentes.

172 *Lex* 1.*ma* Corpus omne habet determinationem quiescendi, vel abeundi per lineam rectam motu uniformi, nisi ab alia quapiam vi ad mutationem determinetur. Id est: corpus omne determinatum est ad hoc, ut, si nulla vis alia mutationem inducat, 1.*mo* illud ad quietem redactum constanter quiescat. 2.*do* Ad motum concitatum perpetuo moveatur. 3.*tio* Progrediatur linea recta juxta directionem sibi datam. 4.*to* Motus ejus sit æquabilis.

Legis hujus 1.*mum* membrum vel inde patet, quod quandocunque corpus locum suum mutat, semper adsit causa, cui mutatio illa debeat adsignari; ut adeo si corpus ibidem, ubi prius erat, non reperiamus, nemini nostrum veniat in mentem suspicari, illud sponte locum mutasse. *Alterum* etiam membrum è phænomenis omnino deducitur. Quo enim magis imminuntur impedimenta motus, eo diutius conservant corpora motum suum; ut adeo inferre liceat, corpora semel ad motum concitata, perpetuo movenda, si omne omnino motus impedimentum tolleretur. Et sane si corpus è motu ad quietem per se tenderet; corpus in horizontali navis, per aquam motu æquabili defluentis, tabulato constitutum deberet ad ipsum gubernaculum accedere, ut expendenti patet. Quod tamen si eveniret, non minus mirum videretur, quam si illud quiescente navi motum eundem per se se inchoaret. Pro 3.*tio* legis mem-

bro vel illud pugnat, quod videamus corpora terrestria, dum etiam in linea curva incedunt, ad motum rectilineum constanter tendere. Sic lapis funda circumactus, si ex eadem forte elabatur, item pulveres, lapilli &c. è rota circa axem voluta excussi per tangentem ejus circuli, quem prius suo motu descripserant, conantur abire, nisi quatenus actione gravitatis à via recta detorquentur. Membrum 4.*tum* inde elucet, quod quandocunque corpus suam celeritatem variat, adsignari possit vis, quæ mutationem illam inducat, & in motu horizontali eo minor esse soleat celeritatis variatio, quo minora sunt impedimenta motus.

173 *Lex 2.da* Quodlibet corpus determinatum est ad hoc, ut eo casu, quo ipsius motum externæ caussæ turbant, componat motum suum præcedentem cum sequente, quem id genus causæ externæ induxerint, aut etiam plures motus, ab iisdem causis simul impressos, ita ut singulis illis, quatenus fieri potest, obsequatur. Analyticam hujus legis deductionem jam *Log.* n. 153. breviter indicavimus.

174 *Lex 3.tia* Actioni æqualis semper, & contraria est reactio. Id est: si corpus A quandam motus quantitatem imprimat corpori B directione A B (*Fig.* 1.), nimirum istud à se quodammodo repellendo, tantam vicissim motus quantitatem acquirit à corpore B, sed directione contraria B A; ita ut vicissim à corpore B quodammodo repellatur: quantam motus quantitatem imprimit corpus A corpori B directione B A, nimirum istud ad se quadammodo adliciendo, tantam motus quantitatem acquirit à corpore B, sed directione contraria A B; ita ut vicissim à corpore B quadam ratione adliciatur. Si corpora duo confligant; quantam motus quantitatem imprimit unum alteri, tantam ex sua perdit, &c.

Fig. 1.

Lex hæc, si ulla alia, inductione amplissima, tam à terrestribus, quam cœlestibus phænomenis ducta evincitur. Newtonus his eandem phænomenis stabilit: "Quidquid premit, „vel trahit alterum, tantundem ab „eo premitur, vel trahitur. Si quis „lapidem digito premit, premitur „& hujus digitus à lapide. Si equus „lapidem funi alligatum trahit; re„trahetur etiam & equus (ut ita di„cam) æqualiter in lapidem; nam „funis utrinque distentus eodem re„laxandi se conatu urgebit equum „versus lapidem, ac lapidem versus „equum, tantumque impediet pro„gressum unius, quantum promovet „progressum alterius. Si corpus ali„quod in corpus aliud impingens, „motum ejus vi sua quomodocunque „mutaverit, idem quoque vicissim „in motu proprio eandem mutatio„nem in partem contrariam (ob „æqualitatem pressionis mutuæ) su„bibit. His actionibus æquales fiunt „mutationes, non velocitatum, sed „motuum; scilicet in corporibus non „aliunde impeditis." (*a*)

(*a*) Ob 1.mo *Si actioni semper æqualis esset reactio; sequeretur, currum ab equis loco moveri non posse: atqui istud est contra experientiam; ergo non est semper actioni æqualis reactio.* Prob. maj. *Quanta vi traheretur currus ab equis, tanta vi retraherentur equi versus currum; ergo si actioni semper æqualis esset &c.*

℞. N. maj. *Ad prob* D. ant. *quanta vi traheretur currus &c. hoc est, quan-*

§. II.

De viribus corporum.

175 Vires, quæ hodie corporibus tribui solent, sunt potissimum: vis repulsiva, vis attractiva, & vis inertiæ. Nomine *vis repulsivæ* non aliud intelligimus in corporibus, quam certam determinationem recedendi à se invicem, ut primum ea certo inter se intervallo distant. Pariter nomine *vis attractivæ* designamus in corporibus certam determinationem ad se invicem accedendi, à distantiis mutuis pendentem. Harum determinationum causas vitandæ confusionis gratia non vocamus *vires*, sed *virium causas.*

176 Jam aliquas vires repulsivas admitendas esse in corporibus, vel hoc argumento confici potest. Nempe: si elementa corporum, seu materiæ puncta ad attactum mutuum devenirent; quoniam simplicia, & simul inextensa sunt (134, & 135), compenetrarentur (141): cum ergo nullis viribus possimus massam ullam ita comprimere: ut materiæ puncta ipsum constituentia in unicum punctum confluant; jure inferimus, nullis viribus posse nos efficere, ut corporis ullius elementa ad attactum mutuum adducantur. Eo ipso autem admittenda sane est in elementis corpo-

---

ta vis impenditur ab equis resistentiæ currus vincendæ, tanta vi retrahuntur equi versus currum C. ant. *hoc est*, *quanta vis* absolute *exeritur ab equis currum trahentibus*, *tanta vi retrahuntur equi versus currum* N. ant. & cons.

Non tota ea vis, quam equi exerunt, impenditur tollendæ currus resistentiæ, sed ea duntaxat illius pars, quæ huic resistentiæ sit æqualis; reliqua adhibetur ad incedendum. Cum autem propter conjugationem non possint equi incedere, quin currus etiam omni jam resistentia velut exspoliatus consequatur; hunc quoque moveri est necesse. Ex his patet, ei duntaxat actionis parti æqualem esse reactionem currus, quæ ab equis in ipsum currum exeritur.

Urg. *Etiam illi actioni, qua equi conantur incedere, sua deberet respondere reactio; ergo hæc quoque actio ita deberet elidi, ut nullus motus sequi posset.* Prob. cons. *Actionem currui impensam elidit ejusdem currus reactio, ita ut ejus quidem actionis vi nullus motus sequi possit; ergo etiam.*

℞. C. ant. N. cons. *Dum enim equi conantur incedere, pedibus tellurem quatiunt, & à se quasi repellunt; tellus vicissim reagit in equos, eos in partem oppositam urgendo: unde in partes oppositas abeunt tellus & equi, iisdem omnino quantitatibus motus: at motus iste in tellure observari non potest, uti patebit è resp. ad seq. Object. Ad* prob. C. ant. N. cons. *Dispar ratio est; cum enim equi adligati sunt currui, nequeunt in partes oppositas abire, donec funes abrumpantur: igitur actio impensa currui, & huic æqualis reactio sic se se elidunt, uti se elidunt duo æqualia pondera in bilance quiescentia. Contra equos & tellurem in partes oppositas abire, nihil est, quod vetet.*

Obj. 2.do *Si actioni semper æqualis, & opposita esset reactio; qua vi fertur lapis libere decidens versus terræ centrum, eadem vi deberet è contrario terra etiam lapidi obviam ire: atqui istud sustineri non potest: ergo adhuc non est semper actioni æqualis reactio.*

℞. D. maj. *Eadem vi deberet è contrario &c. hoc est, eadem quantitate motus* C. maj. *hoc est, eadem celeritate* Neg. maj. sic dist. min. N. cons. *Vi hujus le-*

rum (ac proinde in ipsis etiam corporibus) repulsiva quædam vis, num. præc. descripta, qua se se ab attactu mutuo arceant.

177 Stabilitis *repulsivis* viribus, *attractivarum* existentia vel è cohærentia partium in corporibus intelligi potest. Cum enim in iis vires repulsivæ, mutuum elementorum attactum mathematicum prohibentes ad dissipandas potius, quam inter se copulandas corporis partes tendant; necesse sane est, ut auctis tantisper intervallis mutuis repulsioni succedat attractio: quo posito mutuam elementorum in corporibus cohærentiam suapte jam consequi, Physici norunt. At aliis quoque virium attractivarum indiciis manifestis pleni sunt Physicorum hodiernorum libri.

Schol. Harum virium cum phænomenis consensum exponere, occurrentesque difficultates minutatim diluere Physicæ proprium est.

178 Quod ad causas virium repulsivarum, & attractivarum attinet: 1) posset fieri, ut corpora, natura sua, paratissima sint ad quascunque motuum leges, à Deo libere sanciendas, & eadem certo intervallo sejuncta Deus ipse juxta legem à se libere stabilitam ad accessum mutuum, vel recessum determinet. 2.) Posset quodlibet materiæ punctum ex ipsa natura sua habere determinationem certa celeritate accedendi ad aliud, vel ab illo recedendi, ut primum hoc, aut illo intervallo distiterit ab eodem. Nam neque à priori, neque à posteriori potest harum causarum possibilitas everti. Non *à priori*: cum essentia corporis prorsus ignota nobis sit (132). At neque *à posteriori*, seu ex phænomenis: nam utralibet esset reapse causa virium, profecto phænomena omnia eodem prorsus modo evenire possent, quo ea evenire experimur.

Coroll. Igitur quænam reapse sit causa virium, & num ipsis corporibus *interna*, an *externa*, incertum est. Si ex adsignatis possibilibus causis re ipsa prior in natura obtinet, *externa*; si autem obtinet posterior, *interna* est corporibus virium causa (a).

179 Dum ens quodpiam realem

---

gis quantitates motus sunt æquales in duobus corporibus, quorum unum agit in alterum. Si ergo quantitas motus, qua lapis vi suæ gravitatis fertur in terram (celeritate in massam ducta) sit $= m\ c$; *ob reactionem actioni oppositam terra ei obviam progredietur quadam motus quantitate, quæ si dicatur* M C, *erit ob eandem reactionem actioni æqualem* $M\ C = m\ c$. *Hinc cum quorumlibet duorum factorum æqualium factores sint reciproce proportionales, stabit hæc proportio:* $M : m = c : C$. (Algeb. 169). *Sit jam massa terræ ad massam lapidis, ut est* 10000000: 1, *stabit*: $10000000 : 1 = c : C$; *adeoque multiplicando media & extrema erit* $10000000\ C = c$. *Hoc est, tot vicibus major est celeritas lapidis decidentis, quam sit celeritas terræ illi obviam euntis; quot vices exprimit* 10000000; *seu quo major est massa terræ, quam sit massa lapidis. Cum ergo longe magis adhuc exuperet massa terræ massam lapidis, quam exprimat adsumptus numerus; facile quisque videt, motum terræ lapidi obviam euntis sensibus percipi prorsus non posse.*

(a) *Contra possibilitatem causæ virium, primo loco adlatæ hæc objici possunt.* 1.mo *Si causa virium in sola Conditoris lege consistere, adeoque corporibus externa esse ponatur; sequitur, corpora non agere vere ac proprie, sed agi dun-*

aliquem effectum producit in alio ente, quod neque per se se proxime, neque remote per intermedia quædam entia, per quæ suas vires propagat, contingit, dicitur *agere in distans*. e. g. Si candela Venetiis ardens accenderet Budensem Urbem, ageret in distans; cum neque sit proxime adplicata ulli ædificio Budensi, neque possit etiam sua, ut

---

taxat: *atqui istud sustineri nequit. Si enim veram agendi vim demas, nihil est, quo substantia ab eo, quod substantia non est, discerni queat. Ita cum floris imaginem ope speculi concavi efformamus in aere libero, inde convincimur, ibi re vera florem non adesse, quo naribus adhibitis odorem spargi non sentiamus; quod resistentiam tactione non experiamur; quod denique nullum in eo agendi conatum deprehendamus.* 2.do *Communis hominum persuasio est, corpora, ac proinde etiam ipsorum elementa vere, ac proprie agere; quis enim est, qui vulnus homini inflictum lapidi ex alto decidenti, aut stupæ combustionem igni adplicito tanquam causæ effectrici non attribuat?* 3.tio *Si corpora vere, ac proprie non agerent, omnium in natura phænomenorum hæc unica causa reddi deberet*, quia Deus vult: *quod tamen quis sustineat?*

Ad 1.mum ℞. *Tametsi non negem positive veram, ac proprie sumptam corporum actionem, eam tamen teneo esse incertam. Fateor quidem, insitum esse mortalium animis sensum quempiam, qui nos de præsentia corporum dubitare non sinat, quotiescunque sensus externi, sani, & rite adplicati ea testantur adesse* (Log. 174): *at istud non ex hoc capite fit, quasi testimonium sensuum evinceret, eas impressiones, quæ corporibus tribui solent, nonnisi vera horum actione posse in sensus nostros exeri; verum quod eædem juxta communem naturæ cursum cum ipsa corporum externorum existentia sint connexæ, quæcunque deinde sit hujus connexionis radix. Unde, qui diceret, experientia constare, quod corpora* veram, *ac* proprie sumptam *agendi facultatem habeant, is profecto in vitium* subreptionis *incurreret; quo laborant ii, qui pro observatis, aut experimento compertis obtrudunt illa, quæ nullo sensu perceperunt, sed vel ex experientia velut corollaria quædam deducunt, vel imaginatione sola effingunt.*

Ad 2.dum ℞. D. adsert. *Communis persuasio est &c. estque certum, hanc persuasionem ex communi naturæ sensu, quem pro certo veritatis criterio* Log. 170. *statuimus, & non potius ex quodam præjudicio oriri* N. *idque non est certum* C. adsert. *Quoniam igne membris nostris adplicito, constanter in nobis excitatur caloris sensatio, eodem stramini admoto incendium oriri videmus &c., neque percipimus simul quidpiam aliud, cui effectus hi tanquam veræ causæ adscribi queant; pronum sane est, ut reapse ob nimiam, quam ab ineunte ætate sensibus nostris habere adsueti sumus, fidem in persuasionem illam inducamur, quin vis illa naturaliter insita, quam* communem naturæ sensum *nominamus, nos ad eam impellat. Communis enim naturæ sensus necessarius nobis erat, ut nos inclinet ad quædam judicia, quæ magni momenti sunt ad felicitatem nostram, vitæ conservationem &c. quale est judicium de reali existentia corporum, quæ sensus nostri rite adplicati adesse testantur; non autem, ut inclinet nos ad judicia illa, quorum ignoratio de felicitate nostra nihil adimit, uti est judicium, in Objectione allatum. Et sane si cuipiam Philosophia non imbuto enucleate proponas, non posse corpus vere ac proprie agere, nisi aut se ipsum, aut alia corpora, ad quorum tamen attactum devenire nunquam possit, commoveat; tantum abest, ut sentiat*

cessum mutuum, vel accessum determinationes, in quibus vires repulsivas, & attractivas sitas esse diximus n. 182; vis motrix omnino admittenda est in corporibus: at si eo nomine intelligas veram motum producendi potentiam, ita ut vi motrice pollere corpora tantundem tibi sit, ac virium repulsivarum, & attractivarum causam corporibus esse internam; ex hactenus dictis liquet, non esse certum, polleantne corpora vi motrice, an non.

180 Vocabulo *vis inertiæ* non omnes adæquate idem intelligunt. Quibusdam vis inertiæ in corpore non aliud est, quam determinatio quiescendi, vel abeundi per lineam rectam motu uniformi, nisi ab alia quapiam vi ad mutationem status determinetur, & si reapse determinetur ad mutationem status, componendi præcedentem motum cum motu, quem persentiscit à viribus mutationem inducentibus, aut etiam plures motus sibi simul impressos, ita ut singulis, quatenus fieri potest, obsequatur. Aliis est nisus se se exerens adversus nisum agentis; cui proinde *reactio* corporum sit tribuenda. Utramque hanc definitionem complectitur illa, quam Newtonus inertiæ vi tribuit.

181 Jam vim inertiæ primo modo definitam admittendam esse, e. n. 172, & 173 patet: at eam, à qua reactio corporum proficisci debeat, in Physica rejiciemus; ubi reactionem corporum à mutuis eorundem viribus repulsivis, & attractivis absque inertiæ vi posteriore sensu accepta derivaturi sumus.

CAPUT SEXTUM.

De fato multiplici; item de naturali, & supernaturali.

§. I.

Quid sit fatum? quid fortuna? casus? quid denique naturale? supernaturale?

182 *Fatum* à fando dictum tam in bonam, quam in malam partem sumi potest. Fatum sano sensu acceptum dici solet *Christianum*, estque causarum, ac effectuum series, immutabiliter, sed tamen absque ulla libertatis creatæ læsione, à sapientissimo Deo ordinata, & definita. Definitur à Boetio *Consol. phil. l.* 4. "inhærens rebus mobilibus im„mobilis dispositio, per quam divi-

---

tum produceret in eo corpore, quod nec proxime, nec remote contingit: atqui corpus non potest agere ibi, ubi non est. Prob. min. *Non potest agere tunc, quando non est: ergo neque potest agere ibi, ubi non est.*

℞. C. maj. N. min. *Ad prob.* C. ant. N. cons. *Dispar ratio est. Quia tunc, dum corpus non existit, nullam vim agendi habet uspiam; quomodo ergo aget? si autem alicubi existit, jam potest pollere virtute, qua agere queat, modo subjecto, in quo motus est producendus, rite sit adplicitum: porro potest corpus esse rite adplicitum subjecto, tametsi ab eo distet; quia si juxta Adversarios distantia nulla sufficit ad debitam adplicationem, cur non alia etiam definita distantia sufficiat ad eandem? Deinde etiamsi attactum mathematicum admittas, adhuc verum erit, corpus agere ibi, ubi non est; producet enim motum in corpore alio, in quo utique ipsummet non erit.*

vocant, effluvia, quæ excitando incendio sufficiant, ad tantam distantiam propagare.

Coroll. 1. Sive prior, seu posterior ex adlatis possibilibus ponatur re ipsa esse causa virium; ex neutra sequi actionem *in distans*, expendenti patet. (a)

Coroll. 2. Si nomine *vis motricis* intelligas in corporibus eas ad re-

---

se ab ipsa natura inclinari ad adfirmandam veram corporis actionem, ut potius hanc cum inerte corporis natura vix conciliari posse sit dicturus.

Ad 3.tium N. adsert. *Ponamus enim causam virium esse corporibus internam: profecto propterea non sequitur, hanc unicam debere reddi phænomenorum causam*, quia corporis natura exigit; *ergo etiam, si ponamus virium caussam in libera* Conditoris *lege consistere, non debebit hæc unica phænomenorum causa reddi*, quia Deus vult. *Nimirum quemadmodum in priore illa hypothesi ex phænomenis eruendæ primum essent generales naturæ leges, ex ipsa materiæ punctorum corpora constituentium natura profluentes, ex quibus deinde singularium phænomenorum explicationes, ceu corollaria quædam per synthesim deducantur; ita etiam in altera hac hypothesi ex phænomenis eruendæ primum essent generales naturæ leges, in sola Conditoris libera voluntate sitæ, ex quibus deinde singularium phænomenorum explicationes eadem synthesi, quæ in priore illa hypothesi usurparetur, deduci possint.*

Contra alteram ex assignatis virium caussis possibilibus inquiunt nonnulli: si corpora se ipsa commoverent, prout hoc aut illo intervallo distarent inter se; ea dicenda essent vivere. *At tametsi ponantur corpora se ipsa commovere, prout hoc, aut illo intervallo inter se distiterint, nulla tamen, utcunque imperfecta cognoscendi facultate pollebunt, neque ullos actus spontaneos elicient; sed ut primum certo intervallo à se invicem sejuncta fuerint, quadam naturæ suæ necessitate, certa directione, & celeritate ferentur: quam quidem directionem constanter retinebunt, juxta generalem motus legem num.* 174. *allatam, si sibi ipsis relicta fuerint. Quibus modis limitatæ vires cur vita carentibus, & ut dici solet, inertibus corporibus attribui nequeant, nihil obstare videtur.*

(a) *Aliqui tertiam etiam adsignant possibilem virium causam, dicentes, fieri posse, ut dum materiæ puncta A & B certo intervallo sejunguntur, reapse punctum A à puncto B, & vicissim B ab A ad motum concitetur. Hoc posito, actio in* distans *admittenda omnino esset: cujus quidem possibilitatem defendere utut necesse non habeamus (utpote contenti duabus superius adsignatis possibilibus virium causis) forte possemus tamen. Ponamus enim corpus B commoveri à corpore A: quid quæso ad motum hunc plus conferet attactus mutuus, qui est ipsa distantia* nulla, *ac conferre possit quæcunque alia definita distantia? Sicut definita quæcunque distantia, ita etiam distantia, quæ* nulla *dici solet, est relatio mera è duobus realibus existendi modis orta; cur ergo huic efficacitas aliqua tribuenda sit, qua careant distantiæ determinatæ? Causa, inquis, debet adplicari ad subjectum, in quo motus est producendus. At unde quæso eruis hoc privilegium distantiæ* nullius, *ut in ea sola consistat debita causæ ad subjectum adplicatio? putasne sic transfundi motum è corpore in corpus, quemadmodum transfunditur vinum ex uno vase in aliud, quorum unum admoveri debet alteri, ne vinum in terram defluat?*

At dices: *Si actio in distans daretur, corpus ageret ibi, ubi non est; quia mo-*

„na providentia suis quæque nectit „ordinibus."

183 *Fati* nomen Catholicis auribus grave est; igitur fatum hoc sensu acceptum, quod quidem admittendum omnino est, non *fati*, sed *providentiæ Divinæ* nomine nuncupare convenit.

184 Fatum in malam partem interpretantur, qui eo nomine intelligunt inevitabilem quandam ordinationem, per quam entia omnia, etiam quæ voluntate prædita sunt, ad suos fines necessitate quadam adigantur. In varias classes tribuitur: nempe in Astrologicum, Democriticum, Stoicum, & Spinozisticum.

185 Fatum *astrologicum*, sive *genethliacum* est omnium eventuum necessitas, ab immutabili astrorum actione promanans, estque commentum vanissimorum quorundam hominum, qui de futuris eventibus, etiam humanis, ut de duratione vitæ, connubio, fortunis, ipsoque mortis genere &c. adfirmate pronunciare audebant; quasi hæc infallibili nexu colligarentur cum motu siderum, certoque situ, quem ea certis temporibus invicem obtinent. S. Augustinus fatum hoc vocat *fatuum.* Nec immerito: quo enim argumento probare possunt vanissimi illi homines dictam inter sidera, & futuros eventus connexionem necessariam? quid possunt motus siderum, & positiones conferre ad ea præsertim, quæ à voluntariis animorum inclinationibus pendent?

186 *Democriticum* est necessaria series causarum, & effectuum omnium, promanans ab æterno, & ineluctabili atomorum motu, quo omnia, quæ eveniunt, efficiantur. Fatum hoc impium libertati creatæ adversatur: quippe è mente Democriti, ut habet Cicero de *fato c.* 10. "ita moveretur animus, ut atomo„rum motu cogeretur." Quid, quod easdem atomos ex omni æternitate extitisse velit Democritus, quin à Deo creatæ fuerint? quod tamen sustineri non posse jam num. 125 ostendimus.

187 Fatum *Stoicum* "est series „causarum, inquit Ant. Genuensis, „quarum altera ab altera determi„netur, cujus seriei Deus est caput, „qui fata semel scripsit, semper se„quitur, ac necessario scripsit, ne„cessario sequitur." Ast indigna Deo hæc sunt, & libertatem humanam, quam intima conscientia integram esse cuique testatur, evertunt.

188 Denique fatum *Spinozisticum* est series rerum infinita, necessario ex Dei natura manans. Impiam hanc Spinozæ doctrinam uberius exposuimus n. 124, & n. 126. *cor.* refutavimus.

189 *Fortuna* est causa per accidens (102) effectus non prævisi, in creaturis propter finem, & cum electione agentibus: effectus vero ejusmodi nuncupatur *fortuitus.* e. g. Fortuna est piscari, & piscis loco thesaurum in aquæ fundo hærentem deprehendere.

Coroll. 1. Ii ergo effectus, qui cogitatione percipiuntur, fortuiti dici non possunt. Hinc quo quis plura ignorat, eo ipsi plura accidunt fortuito. Quod ipsum indicatur illo Aristotelis: *ubi parum ingenii, ibi plus fortunæ.*

Coroll. 2. Deo, qui omnia intuitu simplicissimo prospicit, nullus effectus est fortuitus.

Coroll. 3. Res vitæ expertes, aut ratione carentes nullam habent fortunam prosperam, aut sinistram. Hinc ridet Protarchum Aristoteles, quod eos lapides, è quibus altaria construerentur, *fortunatos* dixerit.

190 Fortunam alii definiunt es-

se id, quod omni prorsus sufficiente ratione prævia destituitur; quo quidem sensu sumptam fortunam admitti non posse clarum est. Atque hanc esse causam arbitror, quod S. Augustinus *fortunæ* nomen in ore Christianorum non patiatur.

191 *Casus* est causa non libera per accidens producens effectum quempiam rariorem. ex. gr. Casus fuit, quo puer intra campanæ latera salvus perstitit, reliquo populo, ruinis templi terræ motu eversi, pereunte.

192 Vocabuli *Natura* multiplex est acceptio. 1) Usurpatur *natura* pro rei cujusque essentia. 2) Pro inclinatione rei; ut dum naturam aliam dicimus vitiosam, moderatam aliam. Atque de natura sic sumpta est illud Horatii: *Naturam expellas furca, tamen usque recurret.* 3) Significat quandam entis determinationem ad aliquid. Sic lapis dicitur natura sua ferri versus centrum terræ. 4) Sumitur natura pro viribus, & potentiis tam activis, quam passivis (97) cujuspiam entis creati. 5) Denique accipitur pro collectione virium omnium, quæ in omnibus entibus hunc mundum constituentibus, tam materiatis, quam etiam materiæ expertibus, simul sumptis insunt, & legum, quibus entia quælibet universi hujus agunt, aut aguntur. Atque hoc postremo sensu accepta natura solet *universa natura* nuncupari.

193 *Ordo naturæ* est, quem natura in agendo servat. e. g. Si eveniat, ut novilunii tempore radii solares interpositione Lunæ à quapiam Telluris parte illuminanda prohibeantur; id juxta naturæ ordinem evenire dicimus. *Cursus naturæ* est consecutio eventuum, naturæ viribus legibusque consentanea.

194 Effectus *Naturalis* ille est, cujus ratio in viribus ad universam naturam pertinentibus continetur: *supernaturalis* autem, cujus ratio extra vires ad naturam universam pertinentes est quærenda. e. g. Circulatio sanguinis in animali naturalis est: at mortui ad vitam revocatio in supernaturalibus haberi debet.

195 *Naturale* alias præterea significationes habet. Nempe 1) naturale sumitur pro eo, quod fit à causis naturalibus secundum leges, & ordinem naturæ citra directionem artis. Opponitur illi *artificiale*, quod nimirum accedente artis industria perficitur. Sic scaturigines aquarum in radicibus, aut lateribus montium sunt naturales; fontes salientes in hortis artificiales. 2) Naturale solet id etiam dici, quod fit citra voluntatis imperium, & absque deliberatione. Hinc actiones hominis alias dicimus naturales, voluntarias alias. Naturales sunt: respirare, nutriri &c. voluntariæ: e. g. orare, deambulare &c.

§. II.

De miraculis.

196 *Miraculum* proprie sumptum nonnullis est quivis effectus supernaturalis: at malim ego eos sequi, quibus nomine miraculorum ii duntaxat effectus supernaturales veniunt, qui sunt *insoliti*, vocabulo hoc ejusmodi effectum designando, qui non fiat juxta stabilem quandam, universalemque legem. Certe supernaturales Divinæ gratiæ operationes in nobis pro miraculis haberi non solent; nimirum quod insolitæ non sint, cum juxta stabilem quandam legem, supernaturali fini nostro accommodatam, supernaturalia Dei auxilia nobis præsto esse soleant.

Coroll. 1. Miraculum ergo defini-

ri potest, effectus insolitus, cujus ratio sufficiens extra naturam universam continetur.

Coroll. 2. Raritas ad essentiam miraculi non pertinet. Potest enim quispiam effectus supernaturalis esse *insolitus* sensu superius exposito, tametsi crebrius eveniat. Et sane si ii solum effectus supernaturales essent miracula dicendi, qui sua raritate se se commendant; prodigia illa, quæ Christus, & Apostoli frequentissime patrarunt, pro miraculis habenda non essent.

Coroll. 3. Nihil potest inesse enti, quod ejus essentiæ repugnet: quidquid ergo in ente per miraculum fit, ejusmodi sit, oportet, ut cum illius essentia cohærere possit.

197 Spinoza *in Tract. Teologo-Politico*, *c. 6.* ait miraculum esse "opus naturæ, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus." Lokius *in discursu de miraculis* Gallice edito vult miraculum esse sensibilem quandam operationem, quæ cum captum spectatoris transcendat, ipsiusque opinione cursui naturæ contraria sit, ab eo pro Divina habetur. Nempe his persuasum erat, nullas operationes posse ullo modo evenire, nisi quæ sint secundum communem naturæ cursum, legibusque ad universam naturam pertinentibus reapse consentiant. Hinc omnes eas actiones, quas miraculosas nominamus, volebant esse naturales, nec alio ex capite posse haberi pro miraculis, quam quod ob raritatem suam, causasque, à quibus pendent, ignotas nos in admirationem rapiant. At contra hos sit.

198 Propositio I. Miraculum proprie sumptum possibile est. *Prob.* Miraculi proprie sumpti nomine intelligimus insolitum effectum, cujus ratio sufficiens extra naturam universam quærenda sit (196. *cor.* 1.); atqui id genus effectus possibilis est. Quo enim jure negabimus Deo vim producendi ejusmodi effectum, cujus ratio sufficiens in universa natura contineri non possit? Quodsi leges, quæ nunc in mundo corporeo obtinent, ex ipsa corporum exstantium natura (quod quidem incertum est) promanant; sunt illæ quidem necessariæ, ac immutabiles hoc sensu, quod aliæ leges his corporibus naturales esse nequeant: at quis inde, nisi temere, inferat, ab Ente supremo pro summo suo in res creatas jure non posse iisdem violentiam inferri, producique effectum, qui servato communi naturæ cursu produci nequivisset? Sin autem communis naturæ cursus à libera Dei lege corporibus externa pendet, longe minus potest miraculi possibilitas in dubium revocari.

199 *Confirm.* Nemo, nisi summa cum temeritate, potest inficiari 1) mortui ad vitam revocationem universæ naturæ viribus superiorem esse; eam identidem jam esse patratam: ergo etiam nemo, nisi summa cum temeritate, potest miraculi possibilitatem inficiari.

200 Duplex miraculorum classis statui solet. Alia dicuntur miracula *quoad substantiam*, alia *quoad modum*. *Miracula quoad substantiam* sunt, quæ omnes naturæ vires absolute exuperat, ut mortui ad vitam revocatio. *Miracula quoad modum* dicuntur ii effectus, qui in his quidem rerum adjunctis, in quibus producuntur, exuperant totius naturæ vires, non tamen in omnibus universe: e. g. momentanea lepræ sanatio, quæ longiore tempore arte etiam obtineri posset.

201 Non desunt qui miracula dividant in ea, quæ vires universæ na-

turæ exuperant, vocanturque *miracula stricte sumpta*, *supernaturalia quoad se*, & in *miracula latius accepta*, *supernaturalia quoad nos*, quæ vim & efficaciam naturæ corporeæ, & hominum superant quidem, at non item vires spirituum creatorum, producunturque ab iis, tanquam ministris Dei, ad ejusdem nutum, imperiumque: ut si Deus per Angelos sisteret cursum solis; si Angelus subducta celeriter, quin observari queat, aqua vinum substitueret, ut aqua in vinum conversa videatur &c. quæ & similia Angelorum naturales vires exuperare non videntur.

202 PROPOSITIO II. Miracula stricte sumpta solius Dei opera sunt. Ratio est, nam ea vires universæ naturæ exuperant (*præc.*)

203 PROPOSITIO III. Ii etiam effectus, *quos miracula latius accepta, supernaturalia quoad nos* nuncupari diximus, miraculis jure accensentur. Etsi enim Angeli boni beneficia quædam intra certos limites à Deo præfixos constanter hominibus præstent; iidem tamen ultra limites illos se se rebus humanis, & aspectabilibus non miscent, nisi speciatim à Deo jubeantur. Hinc si Deo statas communis providentiæ leges laxante, id genus effectus patrentur ab Angelis, tanquam ministris ejusdem; effectus illi Deo ipsi communem naturæ cursum interrumpenti sunt attribuendi: ac proinde tametsi, ut Scholæ loquuntur, *in abstrato* considerati sint effectus naturales, cum naturales Angelorum vires non superent; *in concreto* tamen supernaturales sunt, & miraculosi. Et sane quis neget coturnicum in castra Hebræorum compulsionem, aut ruinam murorum Urbis Jericuntinæ fuisse miraculosam, tametsi utrumque Deus per suos Angelos ponatur effecisse.

204 *Objic. cont. 1.mam Prop. 1.mo* Nullus effectus potest in entibus universi hujus produci, qui sit dissentaneus viribus, ac legibus ad universam naturam pertinentibus; ergo miraculum proprie sumptum non est possibile. *Prob. ant.* Præsentes naturæ vires, ac leges fluunt ex ipsis entium mundanorum essentiis, veluti totidem attributa eorundem; ergo nullus effectus potest in entibus universi hujus produci, qui &c. *Cons.* patet; secus enim conveniret enti quidpiam, quod cum ejusdem attributis pugnet; quod absurdum est.

℞. *N. ant.* Ad prob. *D. ant.* Præsentes naturæ vires &c. Hoc est, natura entium mundanorum exigit, ut his viribus, ac legibus contingant effectuum consecutiones, ac vicissitudines, nisi dictis entibus à suprema quadam Virtute inferatur violentia *Trans. ant.* Hoc est, natura mundanorum entium *absolute* exigit, ut nullus in mundo possit effectus contingere, nisi his, quæ nunc obtinent, viribus, ac legibus consentaneus *Neg. ant. & cons.*

Non est certum, utrum eæ leges quæ in mundo corporeo nunc obtinent, ex ipsa mundanorum entium natura profluant, an vero potius externæ sint iisdem, pendeantque à libera Conditoris voluntate. At demus illas ex ipsa corporum natura promanare: *naturales* effectuum consecutiones, stantibus his entibus, aliæ non esse poterunt, quam quæ his definite viribus, ac legibus peragantur. Verum hinc minime consequitur, ne Divina quidem efficacitate posse effectum quempiam produci, qui præter, aut contra communem naturæ cursum sit, e. g. Ponamus eas vires, de quibus Cap. præc. egimus, ex ipsa corporum essentia promanare. Lapis in superficie terræ situs, exigente natura suà tendet versus cen-

trum Telluris: quis tamen, nisi temere, inferat, ne infinita quidem virtute Dei posse illum contra naturalem suum nisum celerrime in Lunam transferri? Deinde e. g. ex eo, quod ipsa humani corporis constitutio naturaliter exigat, ut illud in utero materno efformetur, quis ausit concludere, non posse à Deo, si velit, alterum Adamum è limo efformari? Quod cum natura entium universi hujus *absolute* pugnat, id iis ne per miraculum quidem posse evenire, ultro fatemur.

205 *Obj.* 2.*do* Si miraculum patraretur, Deum mutari necesse esset; cum ergo Deus mutari non possit, miraculum possibile non est. *Prob. ant.* Si miraculum patraretur, id à Deo non ex omni æternitate, sed certo quodam tempore fuisset decretum: ergo si miraculum &c. *Prob. ant.* Quidquid à Deo ex omni æternitate decretum est, ad universam naturam pertinet, ac proinde miraculum non est: ergo si miraculum patraretur, id à Deo non ex omni æternitate &c.

℞. *N. ant.* ad prob. *N. ant.* Nam ut Doctor Angelicus ait *quæs. 6 de Mirac. art.* 1. " Deus non facit contra „rationes naturales mutabili volun„tate; nam Deus ab æterno prævi„dit, & voluit se facturum, quod in „tempore facit. Sic ergo instituit na„turæ cursum, ut tamen præordinare„tur in æterna sua voluntate, quod „præter cursum istum quandoque „facturus erat." Ad ult. prob. rursus *N. ant.* Natura universa definitur collectione virium, quæ in omnibus entibus mundum constituentibus simul sumptis insunt, & legum tam generalium, quam, quæ ex his profluunt, specialium, quibus entia hujus mundi solent agere, aut agi ad obtinendos fines, sibi à Deo præfixos. Quodsi ergo æterna Dei voluntate decernatur quispiam effectus, qui è dictis viribus, legibusque consequi non posset, ille præter universam naturam patrabitur, ac proinde pro miraculo haberi debebit.

206 Pro iis, quæ huc pertinent, uberius intelligendis sequentia adhuc notanda sunt. I. Magna circumspectione utendum est in ferendo de miraculis judicio. Multa possunt naturæ viribus fieri, quæ ab incautis in numerum miraculorum referri possent. Sic ut alia prætereain, ab iis, quos Agyrtas nominamus, multa videntur fieri, quæ naturæ viribus superiora sint; cum tamen sola desteritate sua imponant spectatoribus, ita ut si ipsorum agendi ratio his distincte proponeretur, prorsus admiratione digni non essent, nisi forte ob agilitatem corporis arte, longiorique exercitio procuratam. Attamen ex eo, quod omnes naturæ vires perspectas non habeamus, non licet ex adverso inferre, nullum nos effectum pro miraculo habere posse. Nam imprimis scimus naturæ vires certis limitibus esse definitas: quare si quispiam effectus infinitam exigat potentiam, ut rei ex nihilo procreatio; eum esse proprie miraculosum, nullum erit dubium. Deinde quæ *communi hominum sensu* pro veris miraculis, quibus veritas Religionis, aut servi Dei Sanctitas, pretium virtutis &c. comprobetur, habentur, re vera miracula sint, oportet. Nam ut P. Hauser ait Ontol. 337 " has regu„las dum author naturæ nobis velut „impressit, earum beneficio opera „naturalia, & supernaturalia dig„nosci posse bene confidimus." Talia erant, quæ à Moyse & Aaron coram Pharaone patrata sunt: quibus visis Magi Ægyptii, utut ipsi etiam prius virgas suas in dracones convertissent, exclamarunt: *Digitus Dei est hic.* Exod. 8. v. 19.

207 II. Ut effectus quispiam mi-

raculosus sit, Deum auctorem habeat, oportet, ita nimirum, ut vel ab ipso Deo, præter communem naturæ cursum operante proxime proficiscatur, vel saltem jubente Deo, communisque providentiæ leges laxante, per spiritus creatos fiat: secus enim non erit effectus supernaturalis, ut clarum est. Unde hæc corollaria consequuntur.

Coroll. 1. Ea, quæ in confirmationem falsi dogmatis patrantur, Deo auctori tribui non possunt; ac proinde miracula non sunt; Deus enim falsitatis testis esse non potest. Didicit istud malo suo Simon Magus, aliique. Vide Bellarmin. *l.* 4. *de Notis Eccles. c.* 14.

Coroll. 2. Neque illa possunt miraculis accenseri quæ à Dæmone, vel ope Dæmonis fiunt. Divina enim providentia, & bonitas nunquam adsumit Dæmones pro veris miraculorum instrumentis. Ceterum quia Dæmones peccando non amiserunt vires suas naturales, & dona naturæ, ut fortitudinem, perspicaciam &c.; habent egregiam rerum naturalium cognitionem, experientiam multam, vim humana majorem *activa passivis* adplicandi. Hinc magi Dæmonum ope possunt patrare veros quosdam, & plane stupendos effectus, qui tamen prorsus naturales sint; cujusmodi effectus multos patrasse fertur Apollonius Thianæus. Certe etiam Simon Magus ope Dæmonis erat in altum evectus. Nempe utut naturales Dæmonum vires plurimum reprimat Deus; aliqua tamen stupenda, juxta statutum quempiam ordinem, ab iisdem patrari ob notos sibi fines permittit. Unde ut omnis erroribus via præcludatur, in causis sacris non admittitur examen miraculorum, nisi constet de virtutibus, & sanctitate illius, qui miracula patrasse dicitur. Quodsi de his constet, ad dispicienda miracula tutius proceditur: probitas enim morum, vitæque sanctitas argumento utique sunt, nullam esse factam à Dæmonibus cooperationem. Ceterum tametsi certum sit, non posse ab improbis vera patrari miracula, quibus falsa eorum sanctitas, aut error aliquis adprobari videatur, quod nimirum id genus miraculo Deus ipse nos in errorem induceret; nihil tamen obest, quominus possit Deus pro instrumentis verorum miraculorum adsumere quoscunque improbos, ipsos adeo Paganos tunc, quum Is veritatem aliquam ad fidem, & mores pertinentem per eos tanquam instrumenta confirmare cupit.

208 III. Juxta D. Thomam Aquinatem, quæcunque insolita, & admiranda perpetrant Dæmones, ea vel 1) fiunt per illusionem sensuum, quatenus hoc illi eodem modo adficiunt, uti afficerent res ipsæ, quæ tum adesse adparent hominibus, utut res illæ aut nuspiam sint, aut non sint præsentes. Vel 2) per summam, quæ ab hominibus observari non possit celeritatem. Ut si sublato corpore uno alterum in ejusdem locum celerrime substituant, ut repente generatum videatur. Vel denique 3) insigni sua rerum naturalium scientia stupendos quidem, sed tamen naturales effectus producendo. Prodigiosæ cæcorum, claudorumque sanationes attribuuntur Vespasiano: at sanationes illæ vel sunt fabulosæ, aut fraudulentæ, quatenus pretio conducti fuerint homines, qui ejusmodi morbis se teneri simulaverint, uti probat Daniel Huetius in sua *Demonst. Evang.* aliique; vel vero, uti notat Sylvius, verisimile est, morbos illos à Dæmone fuisse illatos, qui deinde ad Vespasiani nutum lædere desierit.

209 Atque ex his intelligere jam

licet, in ferendo de miraculi veritate judicio sequentia cumprimis attendenda esse. 1) Si effectus mirus omnes universæ naturæ creatæ vires excedere deprehendatur, pro vero utique miraculo habendus est. (202.) 2) Si autem aliquod supersit dubium, annon naturæ viribus, aut arte effici possit; videndum est imprimis, utrum non sint adhibita clam, vel aperte media quæpiam, accelerando, aut etiam perficiendo effectui idonea, vel vero absque omnibus id genus mediis solo nutu, voce, attactu levi &c. effectus mirus eveniat: expendenda deinde reliqua etiam miri operis adjuncta, ut celeritas, perfectio stabilitas &c.; adeoque an momento, vel successive sit patratum? an effectus sit in genere suo absolutus, item suapte stabilis, & nisi novâ in contrarium causa accedat, diuturnus &c. 3) Si opus mirum, tametsi humanis viribus majus adpareat, non videatur tamen omnium creatorum spirituum vires excedere; pariter ex adjunctis colligendum erit, debeatne Deo auctori attribui, & in eorum referri numerum, quæ *miracula latius accepta, supernaturalia quoad nos* vocari diximus num. 201 & miraculis jure accenseri num. 203. probabimus. Cumprimis autem spectandus est finis, quo patratur id genus mira res; num ad morum correctionem, Dei agnitionem, & cultum tendat, vel vero bona temporalia, vanam gloriam, aut alias res malas per eam patrator intendat, & annon is in patrandis miris rebus jam aliis fraude usus fuisse sit deprehensus. Recole præterea, quæ num. 207 cor. 1. & 2. adnotata sunt. Sed de his plura Theologi.

CAPUT SEPTIMUM.

De perfectione mundi; ubi etiam de ejusdem extensione, & unitate.

210 De perfectione mundi duo potissimum quæri solent: imprimis an mundus iste sit omnium possibilium perfectissimus; deinde an saltem suo in genere sit perfectus ita, ut fini, quem Deus per illum obtinere vult, omnino congruat. Leibnitzius mundum hunc omnium possibilium perfectissimum esse contendit, uti elucet ex ejus verbis num. 14. relatis: nos priusquam nostrum sensum depromamus, notari cupimus, Deum mundo condito pro fine ultimo ac principali præstituisse externam suam gloriam, seu quandam perfectionum suarum manifestationem. Cum enim omne bonum pro ratione bonitatis suæ sit amandum ei, qui sapienter amat; Deus se ipsum utpote bonum infinitum amore infinito prosequatur, est necesse: atqui non prosequeretur se ipsum amore infinito, si pro ultimo principalique operis sui fine aliud quidpiam præter se ipsum præstituisset; quippe aliud illud hoc in genere sibi ipsi prætulisset. Igitur Deus mundum condendo vel aliquam internam sibi perfectionem, vel externam quandam gloriam, in patefactionem suarum perfectionum consistentem voluit adipisci: atqui primum dici non potest, cum Deus essentia sua sit cumulus omnium perfectionum, cui nihil addi possit; dicendum est ergo alterum. Hinc, quoniam entis *perfectio* est ejusdem ad præfixum finem habilitas (50. *cor.*), consequens est, tunc fore hunc mun-

dum omnium possibilium perfectissimum, si divinas perfectiones eo gradu manifestaret, ut eæ magis manifestari prorsus nequeant.

211 PROPOSITIO I. Mundus iste omnium possibilium perfectissimus dici non potest. *Prob.* Tunc foret hic mundus omnium possibilium perfectissimus, si divinas perfectiones eo gradu manifestaret, ut eæ magis manifestari prorsus nequeant (*præc.*): atqui mundus hic divinas perfectiones non manifestat eo gradu, ut eæ magis manifestari nequeant; Divinæ enim perfectiones sunt infinitæ, ita ut nullos intensitatis limites admittant, consequenter eæ semper magis, ac magis manifestari possunt, ita ut in hac manifestatione nequeat unquam ad gradum ultimum perveniri.

212 *Confirm.* Nullum est ex entibus creatis, quod ulla perfectione e. g. intelligendi vi, polleat infinita: cum ergo quolibet ente certis limitibus definito majus quiddam cogitari queat, negare non possumus in Deo potentiam condendi creaturas, quibus Deus longe excellentiori gradu communicet perfectiones suas, ac communicaverit entibus hujus mundi. Jam vero si mundus iste ejusmodi entia complecteretur præter hæc, aut loco horum, quæ nunc complectitur; profecto divinas perfectiones posset uberius manifestare, atque modo manifestet. Igitur dici non potest, manifestationem divinarum perfectionum, quam Deus per hunc mundum obtinet, esse omnium possibilium maximam: ac proinde mundus iste omnium possibilium perfectissimus dici omnino non potest.

213 *Obj.* 1.*mo* Debuit adesse ratio sufficiens, cur Deus hunc definite mundum condiderit præ aliis possibilibus: atqui alia ratio esse non potuit, quam quod iste sit omnium possibilium perfectissimus: ergo mundus hic omnium possibilium perfectissimus sit, oportet. *Prob. min.* Deus nequit minus bonum majori præferre; ergo ideo condidit Deus hunc mundum præ aliis possibilibus, quia omnium possibilium perfectissimus fuit.

℞. *D. maj.* Debuit adesse ratio sufficiens *interna* Deo, in liberrimo ipsius arbitrio sita *C. maj. externa* Deo, quæ ipsi necessitatem imponat hunc definite mundum præ aliis possibilibus condendi *N. maj.* Hinc *minorem* simpliciter *N.* Ad prob. *D. ant.* Deus nequit minus bonum majori præferre; id est, nequit pluris æstimare minus bonum, quam majus bonum *C. ant.* id est, nequit majori benevolentia complecti minus bonum, quam majus bonum, nimirum, illud ad existentiam perducendo, istud negligendo. *N. ant.* & *cons.* Deus in condendis creaturis liberrimus est; quippe tam parum commodi, & beatitudinis ei obvenit è creatura perfectiore, quam parum è minus perfecta. At quod ad judicium de iisdem ferendum attinet, pluris utique facere debet ens majori perfectione præditum, quam alterum minus perfectum: secus enim erraret judicio suo; quod tamen infinitæ ejusdem perfectioni repugnat.

Urgeb. Eligere minus bonum præ majori adversatur infinitæ Dei sapientiæ: ergo potentia eligendi minus bonum præ majori nequit Deo convenire. *Prob. ant.* Homo, cui rerum quarumpiam optio datur, insipienter agit, si neglecto majori bono minus bonum eligat; ergo etiam.

℞. *N. ant.* Distinguenda enim sunt hæc duo: *unum mundum esse alio meliorem*, & *melius esse creare hunc potius mundum, quam alium.* Primum illud habet locum in mundis possibilibus, non item alterum, sed æque bonum est creare, vel non creare

mundum; quocunque perfectionis gradu præditum. Cum enim Deo nihil felicitatis accedat ex ullo mundo condito, utcunque perfecto, nec etiam decedat quidquam, si nullus condatur mundus; longe nobilius sentimus de Majestate Divina, si plenam ejus in mundo condendo libertatem agnoscamus, quam si eam fatali Leibnitzianæ rationis suficientis necessitate constrictam esse, sine ulla sufficiente ratione adseramus.

Ad prob. *D. ant.* Insipienter agit, si neglecto majori bono &c. hoc est, insipienter agit, si id, quod suis usibus, destinatisque finibus magis congruit, negligat, eligatque aliud, quod dictis usibus, finibusque minus inservit *C. ant.* Hoc est, generatim insipienter agit, si eo neglecto, quod secundum se majus bonum est, eligat id, quod secundum se est minus bonum *N. ant. & cons.* Si quis è rebus diversis sibi oblatis eligat rem suis usibus, designatisque finibus minus congruam, neglecta magis congrua; omnino insipienter agit: sapientis enim est optima pro designato fine media eligere. At quoties evenit, ut homines neglecta re secundum se pretiosiore, sed ipsis minus utili, aliam in se viliorem, sed ipsis utiliorem citra insipientiæ notam eligant? Hinc in Deo quoque tunc solum argueretur imperfectio, si is non eum determinate mundum elegisset condendum, qui sit aptissimus ad eum finem adsequendum, quem ille mundum creando adsequi intendit; at mundum hunc optime omnino congruere præfixo sibi fini, dicemus inferius.

214 *Obj. 2.do.* Infinita Dei bonitas poscit, ut is optimum operibus suis finem præstituat: sed ad optimum finem consequendum optima media sunt necessaria; ergo infinita Dei sapientia poscit, ut, si mundus quispiam condendus sit, eligatur ex omnibus possibilibus optimus.

℞. *D. maj.* Poscit, ut is optimum *quoad substantiam* finem præstituat operibus suis *C. maj.* optimum etiam *quoad intensitatem, & gradum N. maj.* sic *dist. min. N. cons.* Si Deus mundum condere velit, ei omnino optimum quoad substantiam finem præstituere debet, nimirum aliquam gloriæ suæ manifestationem, uti n. 210. ostendimus. At quoniam æque felix est, sive hoc minus intenso, sive alio intensiore gradu manifestet perfectiones suas per creaturas; non est, cur debeat operibus suis præfigere finem, qui sit etiam quoad gradum & intensitatem dictæ manifestationis optimus. Imo neque est possibilis mundus, qui Divinas perfectiones eo gradu manifestet, ut eæ magis manifestari nequeant (211.)

Urg. Libertas ad malum moralem eligendum non est attribuenda Deo: ergo neque libertas eligendi minus bonum præ majori. ℞. *C. ant. N. cons.* Malum enim morale cum infinita Dei sanctitate pugnare clarum est; eligere autem minus perfectum mundum præ perfectiore, sed talem tamen, qui præfixo sibi fini congruat, prorsus nullam involvit imperfectionem in Deo, se solo beatissimo, felicissimoque. Recole resp. ad *Urg.* num. præc.

215 *Obj. 3.tio* Deus semper operatur modo optimo; ergo etiam semper id eligit in procreando, quod est optimum.

℞. *C. ant. N. cons.* Dispar ratio est. Deus enim non esset perfectissimus Artifex, si ea, quæ condit, non conderet summa ratione, fine optimo; modoque ad præfixum finem accommodatissimo; id est, si operandi ratio, ipsi interna, perfectissima non esset. At ex electione mundi non optimi nullam in Deum redun-

dare imperfectionem, superius jam declaravimus. Imo ne possibilem quidem esse mundum omnium perfectissimum, tum è nu. 78. *cor.* cum è n. 211. liquet.

216 *Obj.* 4.*to* Mundus hic plene conformis est ideæ Divinæ; ergo quemadmodum hæc, ita & ille simpliciter perfectissimus sit, oportet. ℞. *D. ant.* Est plene conformis &c. Hoc est, mundus est omnino talis, qualis in idea Divina ab æterno repræsentatur C. *ant.* Hoc est, mundus est in se tam perfectus, quam perfecta est in se, &, ut dici solet, *subjective* spectata idea Divina ipsum repræsentans N. *ant.* & *cons.*

217 Propositio II. Mundus hic suo in genere perfectus est ita, ut fini, quem Deus per illum obtinere vult, omnino congruat. Deus enim non esset perfectissimus mundi Architectus, si ejus opus fini, quem eidem præfixit, non congrueret. Certe hujusmodi defectus operis argueret defectum in potentia, vel sapientia sui Conditoris.

218 *Obj.* 1.*mo* Mundus iste multa continet entia suo in genere imperfecta, ut sunt animalia manca, monstrosa &c. ergo non est in genere suo perfectus. 2.*do* Si mundus iste esset suo in genere perfectus ita, ut fini suo congruat; quemadmodum finis ipsi præstitutus est externa Dei gloria, ita singula ejusdem entia deberent esse accommodata ad procurandam externam Dei gloriam: atqui non sunt accommodata omnia; ergo mundus iste non est &c. *Prob. min.* Peccata potius in contemptum Dei, quam in ejus gloriam vertunt; ergo nequit dici, singula hujus mundi entia ad procurandam externam Dei gloriam esse accommodata.

Ad 1.*mum* ℞. *D. ant.* Multa continet entia suo in genere imperfecta, quæ hoc solum sensu sint in suo genere imperfecta, quod quibusdam perfectionibus, quæ spectato communi naturæ cursu ipsis conveniunt, sint destituta C. *ant.* quæ hoc etiam sensu sint suo in genere imperfecta, quod non sint apta ad perfectiones Divinas eo gradu, & mensura manifestandas, quo gradu & qua mensura has per illa Deus manifestari voluit N. *ant.* & *cons.* Singula hujus mundi entia, utcunque vilia ceteroquin, manca, monstrosaque fuerint, manifestant divinas perfectiones eo gradu, ac mensura, quo gradu, & mensura eas Deus per illa manifestari voluit; ergo singula perfecta sunt suo in genere hoc sensu, quod fini sibi à Deo præfixo perfecte congruant.

Ad 2.*dum* ℞. C. *maj.* N. *min.* Ad prob. *D. ant.* Peccata, si spectentur comparate ad malitiam, & intentionem hominis libertate sua abutentis, potius in contemptum Dei, quam in ejus gloriam vertunt C. *ant.* Si spectentur, prout à Deo permittuntur, & prout sunt actus cum reliquis mundi entibus ad communem finem, videlicet ad aliquam Dei perfectionem manifestandam tendentibus connexi N. *ant.* & *cons.*

Singula hujus mundi entia (ipsa adeo peccata, si hæc ita spectentur, prout à Deo permittuntur, & prout connectuntur cum reliquis mundi entibus ad communem finem tendentibus) singula, inquam, ad manifestandas perfectiones Divinas dirigi ostendimus *à priori* num. præc. Idem *à posteriori* quoque argumentando multis in casibus de ipsis adeo peccatis elucet: quam in rem adduci solet exemplum Josephi Ægyptii, in cujus vitæ cursu scelera fratrum, variæque calamitates, quas innocenter ille perpessus est, ita se se consequebantur; ut ea à Deo cujusdam gloriæ suæ causa esse per-

missa, demum pateret. Neque obest, quod multi sint casus particulares, in quibus non adpareat, quidnam conferant determinata quædam entia ad gloriam Dei: nam ad istud in singulis casibus pervidendum, necesse foret omnes omnino rerum creatarum connexiones ab exordio mundi usque ad finem habere perspectas: qui eas omnes accurate perspiceret, videret sane nihil esse in mundo, à quo aliqua Dei gloria aliquo modo non dependeat. Demum peccata conferre ad externam Dei gloriam inde etiam intelligere licet, quod ea remittendo manifestet Deus misericordiam suam; eadem vindicando, potestatem ac justitiam suam exerceat &c.

219 *Obj.* 3.*tio* Homines non faciunt ea omnia bona, quæ Deus cupit ab iis fieri: ergo Deus per mundum hunc non assequitur perfecte eam gloriam suam externam, quam adsequi cupit, ac proinde adhuc mundus iste non est suo in genere perfectus.

℞. *D. ant.* Homines non faciunt ea omnia bona, quæ Deus *serio* & simul *efficaciter* cupit ab iis fieri *N. ant.* quæ Deus *serio* quidem, sed non *efficaciter* cupit ab iis fieri *C. ant. D.* etiam *Cons.* Ergo Deus per mundum hunc non adsequitur perfecte eam gloriam suam externam, quam efficaciter adsequi cupit *N. Cons.* quam serio quidem, sed tamen non efficaciter cupit adsequi *C. cons.*

Deus ob infinitam suam sanctitatem serio quidem cupit nihil mali committi à creaturis rationalibus; propterea tamen non habet necessitatem impediendi peccata earundem, ut vel inde patet, quod secus non posset eas perfectiones suas manifestare, quas occasione permissorum peccatorum manifestare solet. Hinc evenire potuit, ut tametsi omnia peccata à nobis evitari Deus serio desideret; hæc tamen seria ipsius voluntas sit *inefficax*, ejusdemque voluntas *efficax*, quam nimirum ille simpliciter vult in effectum deduci, reapse aliam perfectionum suarum manifestationem habeat pro objecto, ac ea sit, quam consequeretur tunc, quum nulla peccata perpetrarentur à creaturis rationalibus. Jam ut mundus hic sit suo in genere perfectus, satis est, si Deus per illum plene consequatur eam suarum perfectionum manifestationem, quam consequi *efficaciter* vult: atque hanc quidem plene consequitur. *Neque dicas*, fore consequens, ut Deus peccata hominum velit, ac desideret, si eam suarum perfectionum manifestationem vult efficaciter, quam ex parte etiam per peccata hominum consequi debet. Sufficit enim, si ea *permittere* velit (112. *cor.*) His de rebus uberius Theologi.

220 Enormem esse mundi hujus extensionem, vel ex iis siderum magnitudinibus, distantiis, revolutionibusque abunde elucet, quæ hactenus ab Astronomis, Physicisque detectæ sunt (*a*): quodsi autem quæras, unicusne sit mundus, an

---

(*a*) *Eandem tamen infinitam non esse, hac argumentandi ratione ostendi po-*
Fig. 3. *test. Sic, si fieri potest, in* Fig. 3.*tia spatium a plaga* C *versus plagas* A & E *infinite extensum, concipiaturque in eo angulus* ACE, *à lateribus rectis* CA & CE *in infinitum protensis interceptus, quem bifariam secet recta* CD *pariter infinita. Porro ex puncto quocunque* G *ducatur recta* GF *ad* CA *parallela, in qua capiatur pars* HF *quæ sit dupla ipsius* GH. *Denique per punctum* F *agatur recta* CB *infinite protensa. Ex his mox hæc consectaria fluunt:* 1) *spatium infi-*

plures; ajo, non posse quidem ratione naturali ostendi, nonnisi unicum exstare mundum; temerarios tamen fuisse veteres illos, qui pro multitudine mundorum mordicus stabant, quos inter numerantur Anaxagoras, Epicurus &c. Id enim adserendi nullum solidum poterant habere fundamentum. Unde Diogenes Cynicus è quodam Epicureo, de pluribus mundis serio disserente non immerito quæsivit: *quàm dudum de cœlo venisset?* At neque id sustineri potest, quod ex adverso Cartesiani contendunt: ne quidem possibilem esse mundum alterum. Si enim dicant, *mundi* vocabulo rerum omnium creatarum universitatem intelligi, repugnare vero plures rerum omnium creatarum universitates; R. ideo duntaxat solere nos *mundi* vocabulo rerum omnium creatarum universi-

---

nitum ACD *debet esse æquale spatio infinito* DCE: *hæc enim duo spatia ob angulum* ACE: *ope rectæ* CD *bifariam sectum sibi invicem congruerent.* 2) *Triangulum* HCF *est duplum trianguli* HCG (Geom. 146.) 3) *Eodem modo, si ex alio quocunque puncto g ducatur recta g f* ad CA *parallela; triangulum h C f erit duplum trianguli h G g. Nam triangula hæc imprimis eandem habebunt altitudinem, quæ est normalis ex* C *ad g f demissa; deinde basis h f erit dupla baseos g h, quod sic declaro: imprimis in triangulis* HCG & *h* C *g, ob bases* GH & *g h parallelas, stat*, CG : Cg = GH : *g h* (Geom. 152.) *Eodem modo in triangulis* FCG & *f*C*g stat*, CG : Cg = GF : *g f. Cum ergo duæ rationes, quæ sunt æquales uni tertiæ, debeant inter se quoque esse æquales; stat:*

$$GF : gf = GH : gh.$$

Alternando: -- $GF : GH = gf : gh.$

Subtrah. -- $GF - GH : GH = gf - gh : gh.$

Id est: -- $HF : GH = hf : gh.$

Jam vero HF *est ex constr.* = 2 GH; *ergo est etiam h f* = 2 *g h.*

Porro his stantibus sic jam ratiocinari licet. Quoniam triang. HCF *est* = 2HCG, & *h*C*f* = 2*h*C g; *est quoque.*

$$hCf - HCF = 2hCg - 2HCG.$$

Hoc est, area FH*hf est dupla areæ* HG*gh. Hinc si ducantur quotcunqne aliæ rectæ g f, ad* CA *parallelæ; summa quoque omnium arearum* FH*hf erit dupla summæ arearum* HG*gh. Consequenter tota area infinita* BCD *erit dupla areæ infinitæ* DCE. *Quod absurdum esse omnino clarum est: quippe ex demonstratis area infinita* DCE *est æqualis areæ* ACD; *consequenter area* BCD *esset dupla etiam areæ* ACD, *cujus tamen ea nonnisi pars est. Igitur spatium à plaga* C *versus plagas* A & E *infinite extensum repugnat.*

Schol. *Si area* ACE *ponatur esse finita, & undique terminis clausa; dicta argumentandi ratione nullum erui posse absurdum, expendenti facile patet: at si versus* A & E *prorsus sufferantur limites, adeoque area ponatur esse infinita; absurdum omnino manifestum est. Tunc enim cuilibet areæ* H*h*g G *trianguli* DCE *respondebit in triangulo* BCD *area* F*f h* H, *quæ sit illius dupla; consequenter etiam infinita area* BCD *erit dupla areæ infinitæ* DCE, *ac proinde etiam areæ* ACD, *cujus tamen ipsa est pars tantummodo. Vide, si lubet, Boscovichium, cujus hæc demonstratio est*, Phil. Nat. Edit. Venetæ *in annot. ad num.* 546.

tatem intelligere, quod mundum nonnisi unicum esse credamus. Quodsi autem hoc ipsum in quæstionem adducatur; ne *petitione principii* laboret argumentatio, *mundi* vocabulo intelligenda erit certa series rerum creatarum, ratione quadam inter se connexarum, quæ cum alia quapiam serie nullam omnino connexionem, communicationemque habeat. Cujusmodi series innumeras esse possibiles, quo fundamento negabimus?

DISSERTATIO TERTIA

COMPLECTENS PSYCHOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM.

De inferiore cognoscendi facultate humanæ mentis.

§. I.

De mentis humanæ cognoscendi facultate generatim; tum speciatim de facultate sentiendi.

221 Cuilibet perspicuum est, se cogitare, velle hæc & adpetere, aversari illa; sentire jam frigus, jam calorem &c. Id, quod in nobis harum actionum principium est, *mens humana*, vel *anima rationalis* nuncupatur.

Coroll. Igitur quilibet de animæ suæ existentia certissimus est. Imo si quis in eam dementiam prolaberetur, ut de illa dubitaret; hac ipsa dubitatione suum errorem aperte refelleret: eas enim actiones exerceret, quarum principium *animam* nuncupamus. Nempe ut S. August. loquitur *l.* 10. *de Trin. c.* 10. "Si quis »dubitet, vivit: si dubitat, unde »dubitet, meminit: si dubitat, du»bitare se intelligit: si dubitat, cer»tus esse vult: si dubitat, cogitat: »si dubitat, scit se nescire: si dubi»tat, judicat non se temere consen»tire oportere."

222 Scientia, quæ animæ proprietates expendit, *Psychologia* vocatur, dividiturque à quibusdam in empyricam, & rationalem. In *empyrica* traduntur illa, quæ nobis de anima ex experientia, sensuque intimo innotescunt; in *rationali* autem, quæ de eadem ex experientia ratiocinando deducuntur. Nos experientiam ratiocinationi ita conjungemus, prout alteram alteri ad scopum nostrum optime subservire videbimus.

223 *Facultas cognoscendi* est ea mentis potentia, qua illa sibi repræsentat res varias, etiam extra se positas. Actio illa, qua id genus repræsentatio peragitur, *cognitio* solet adpellari: unde etiam *cognoscere* dicimur, cum animo nostro quidpiam obversatur.

224 Facultas cognoscendi à Philosophis in duas quasi partes tribuitur. Eam, quæ nobis cum ipsis bes-

tiis communis est, *inferiorem*; eam vero, qua bestiis antecellimus, *superiorem*, aut *rationalem* nominant.

Coroll. Sensus, & imaginatio communis nobis est cum brutis animantibus: hæc ergo ad inferiorem facultatis cognoscendi partem pertinent.

225 Quemadmodum in Logica nu. 14. in *Schol.* breviter indicavimus, vis illa mentis nostræ, qua motus in corpore nostro excitatos, & occasione horum res extra nos positas, ac nobis præsentes percipimus, *facultas sentiendi*; actio vero facultatis hujus *sensio*, vel *sensatio* dicitur. Nimirum actio illa, qua mens occasione commotionis in aliquo corporis membro excitatæ dolorem, vel voluptatem, ac etiam illam ipsam commotionem percipit, *sensio*, vel *sensus*; qua vero percipit res extra nos positas, earumque adfectiones, *sensatio* nominari solet. Quanquam complures vocabula hæc pro utraque animæ sentientis actione promiscue usurpant: quod ipsum nos quoque brevitatis gratia facturi sumus.

226 *Sensuum organa* generatim sunt eæ corporis nostri partes, à quibus pendent in nobis sensationes. e. gr. Oculus est organum sensus; ab eo enim pendet ea sensatio, quam *visionem* nuncupamus.

227 Ut iis, quæ huc pertinent, lux major adfundatur, recolenda sunt aliqua, quorum jam in Logica loc. cit. paucis meminimus. Nempe ex intima cerebri substantia subtilissimæ fibrillæ, seu nervi, tanquam è radice prodeunt; quæ primum in oblonga, & spinali medulla, veluti in trunco collectæ, deinde in plurimos quasi ramos divisæ per totam animalis machinam Divino prorsus artificio diffunduntur, atque usque ad extimam illius superficiem porriguntur. Jam nervos hos esse præcipua sensationum instrumenta plurimis accuratione summa institutis experimentis compertum est. "Si præcidas, inquit Galenus, nervi medullam; continuo membrum, cui nervus inseritur, stupidum omnino, & immobile reddideris." Item Boerhaave. "Si nervus, inquit, bruti animalis vivi, v. g. cruralis nervus canis denudetur, ligeturque plano vinculo, tænia aliqua, ne nervum constringendo discindas; perit omnino subito sensus, & motus in ea parte, cujus nervus ligatus fuit, infra ligaturam posita, neque redit soluto vinculo, nisi nervus tepida irroratus convaluerit." *Tom.* 2. *Prælect. in suas Instit. med.* Præterea id quoque in comperto est, animam ad sensationes demum ope cerebri determinari. Quamvis enim integri perdurent nervi illi, à quibus sensationes pendere diximus; si tamen in cerebro insit vitium, sensus animalis tollitur. "Compressa, inquit Boerhaave, discissa, putrefacta, exesa medulla cerebri, aut cerebelli, omnis actio per nervos inde oriundos exerceri sueta statim aboletur, licet nervi in integritate sua, & membranis intacti perstent." Item: "Quando duæ unciæ aquæ in ventriculos cerebri effunduntur, homo nihil quidquam sentit, neque fragorem maximi tormenti, neque lucem vividissimam, neque penetrantissimum ab ustione dolorem." *Tom.* 4. *Prælect. in suas Inst. med.*

Coroll. Dicendum ergo est, sensationes in nobis eatenus peragi, quatenus, ubi membra nostri corporis ab externis rebus certa ratione pervelluntur, commoventurque, per nervos illic terminatos ea commotio defertur ad ipsum cerebrum, animaque ad certas sensationes juxta legem à Conditore naturæ statutam determinatur.

228 Nerveas has fibras quidam volunt esse solidas, & simul insigni elasticitate præditas: è quorum adeo sententia propagatio commotionis ab organo sensus ad cerebrum, fibrarum illarum oscillatione peragitur. Fibræ, inquiunt, per externam impulsionem certa ratione, structuræ suæ conveniente tenduntur; tensionem hanc consequitur in iisdem quidam tremor, qui deinde ad cerebrum ipsum propagatur. Alii censent, dictas fibras esse totidem veluti tubulos excavatos, per quos subtilisima quædam sanguinis portio (*spiritus animales* nominant) celerrime commeet; ajuntque subtilem hanc substantiam, factis in organa sensuum impressionibus, commotam celerrime fluere in eam cerebri partem, in qua anima resideat, atque hanc commotionis in organo sensus factæ quodammodo admonere.

229 Ex hactenus dictis patet jam dum e. g. dolorem sentimus in membro quopiam, dolorem illum reapse in cerebro sentiri. "Cum puel„læ cuidam, testatur Cartesius „*Princ. Phil. part.* 4. n. 196. manum „gravi morbo affectam habenti velа„rentur oculi, quoties chirurgus ac„cedebat, ne curationis apparatu „turbaretur; eique post aliquot dies „brachium ad cubitum usque, ob „gangrænam in eo serpentem fuisset „amputatum, & panni in ejus locum „ita substituti, ut eo se privatam „esse plane ignoraret; ipsa interim „varios dolores, nunc in uno ejus „manus, quæ abscissa erat, digito, „nunc in alio se sentire quereba„tur" Nempe anima nostra eo refert sensationes, unde easdem ortas esse arbitratur. Sic in puella hac nervi, qui prius à cerebro usque ad digitos porrigebantur, resecta manu in ipso cubito terminati ea illic ratione pervellebantur, qua prius debebant in digito pervelli ad doloris sensum in anima excitandum: quia vero anima nervos illos, uti prius, in digitis terminari putabat; ex ipsis digitis, non è cubito dolorem percipere sibi videbatur.

230 Organum sensus, quod in extima corporis superficie terminatur, *externum*; quod autem intra corpus latet, nimirum cujus ope sentiuntur motiones intra nos excitatæ, *internum* adpellatur. Externa sensuum organa quinque deprehendimus in corpore nostro; nimirum oculos, aures, nares, linguam cum papillis suis, & fibrillas nerveas per totum corpus æquabiliter sparsas. Unde totidem genera sensationum oriuntur: nempe visio, auditio, odoratus, gustatus, & tactio.

231 Ex relatione ad organa ipsa etiam sentiendi facultas, vel, ut jam communiter nominatur, *sensus* tribui solet imprimis in externum, & internum. *Sensus externus* est facultas obtinendi certas ideas ope organorum externorum; *internus* vero ope internorum. Deinde quemadmodum quinque sunt externorum organorum genera, ita etiam sensus externi quinque numerantur: videlicet visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. *Visus*, seu *facultas videndi* est facultas percipiendi corpora ope mutationum in oculis factarum: quæ definitio paucis commutatis etiam ceteris sensibus externis adplicari potest.

Schol. Ipsa etiam organa sensuum frequenter communi vocabulo *sensus* designantur: ut adeo *sensus* jam sensionem, jam organum sensus, jam facultatem sentiendi significet.

232 Ea cerebri pars, in qua conveniunt omnes illi subtiles nervi, quos per totum corpus protendi diximus (227.), *commune sensorium* nuncupatur; propterea, quod omnes motiones, quæ in organis fiunt,

illuc tandem propagentur, ibique anima ad sensationes omnes determinetur. Porro motiones organorum, postquam ad cerebrum delatæ sunt, *idearum materialium* nomen sortiuntur.

233 De sensuum organis & sensationibus hæc habeto. I. Ut organa sensuum ab objectis externis congruenter commoveri possint, in his certa virium intensitas adesse debet; ea tamen non nimia, justoque major. Ratio 1.*mi* est; secus enim nervulos illos, qui organum sensus constituunt, nequibunt ita percellere, ut motio usque ad commune sensorium propagetur. Sic exiguæ corporum particulæ sensus nostros effugiunt. Ratio 2.*di* est. Nimia enim vis organa ipsa destruit, aut certe obtundit. Atque hinc est, quod inermes oculos in solem defigere non possimus.

234 II. Mutationibus, quæ ab objectis sensibilibus efficiuntur in sensuum organis, consentaneæ sunt sensationes, quæ in anima excitantur: ita ut non sit in arbitrio nostro, factis in organa impressionibus sentire vel non sentire, item ut sensatio hujus potius, quam alterius generis sit, aut vigoris. Veritas hæc constanti sensus intimi testimonio patet.

Coroll. 1. Si ergo mutatio in eodem sensus organo eadem est, sensatio quoque in anima eadem esse debet: ac proinde si diversa objecta sensibilia idem sensus organum eodem modo immutent, in anima deceptionem oriri necesse est. Sic baculus rectus, si aliqua sui parte in aquam immergatur, adparet curvus: quia eo casu haud aliter facit in oculos impressionem ope lucis reflexæ, quam si curvus esset, ut in Physica explicatur.

Coroll. 2. Quo aptiora sunt organa ad recipiendas impressiones, atque ad cerebrum ipsum deferendas, eo facilius exoritur in anima sensato. Sic feles, vespertiliones nocturnam lucem percipiunt ita, ut objecta quam optime discernant; quæ tamen lux oculos nostros non perstringit.

Coroll. 3. Instrumentorum ope effici potest, ut fortior sit impressio in organa sensuum ab objectis facta, quam secus esset: cum ergo sensationes consentaneæ sint mutationibus organorum, patet sensationes acui posse, si sensus armentur instrumentis. Sic per telescopium vividior est visio, quam oculis inermibus.

235 III. Inter objecta sensibilia, & organa sensuum proportio quædam intersit, oportet: nisi enim e. g. organum visus certo modo, structuræ suæ conveniente impellatur, nempe cujusmodi impulsionem lux in illud facit; non concipit eum tremorem, quo ad cerebrum propagato anima ad eam sensationem, quæ *visio* dicitur, determinetur. Sic neque auris percipit lucem, aut nares sonum.

236 IV. Sensatio vehementior retundit, ac debilitat debiliorem. e. g. Immoderatus tympanorum strepitus impedit, ne hominem submissa voce loquentem exaudiamus: lux Solis obest, quominus interdiu debilem stellarum lucem discernere possimus &c. Nimirum quando e. g. oculi fibrillas intensa solis lux vehementer tendit; accedens stellarum debilis lux tensionem hanc ad sensum nihil auget. Si etiam si funi horizontaliter distento magna in medio pondera adpendantur, quæ ipsum nimiopere tendant; accedente quopiam novo minore pondere tensio ad sensum increscere non solet. Porro tensioni fibrarum respondet earun-

dem tremor; à quo tremore ad ipsum cerebrum propagato dependet sensatio in anima. Hinc debilis illa stellarum lux neque potest sensationem, qua ipsam discernamus, in nobis interdiu excitare. Ex adverso noctu fibræ oculi ob solaris lucis absentiam laxatæ sunt, quæ proinde etiam debili stellarum luce satis tendi possunt; quemadmodum funis quoque horizontaliter distentus exiguo pondere initio satis tendi solet: hinc tremor quoque huic tensioni respondens, ac proinde etiam sensatio lucis stellarum sat vivax in nobis esse potest. Adplicari hæc facile possunt cuilibet alteri sensui, & eorum quoquo sententiæ, qui nervulos sensorios pro totidem excavatis tubulis, spiritibus animalibus repletis (228) habent, accommodari.

§. II.

De facultate imaginandi; ubi etiam de somniis.

237 Nemo dubitare potest, pollere se facultate redintegrandi, rursusque animo sistendi ideas, ac imagines earum rerum, quas aliquando sensibus usurpavit, tametsi nunc illæ absentes sint. Vis hæc mentis *facultas imaginandi*, vel *phantasia*; ipsæ autem redintegratæ imagines *phantasmata* nuncupantur.

238 Inest quoque in nobis vis phantasmata varia ita componendi, ut ex iis consurgat complexum quodpiam, à nobis nullo unquam sensu perceptum. Sic potest quispiam è phantasmatis auri, & montis effingere imaginem aurei montis. Ad eandem vim pertinet etiam dissociatio idearum, quas consociatas hausimus sensibus nostris, ut si quodpiam animal, quod integrum aliquando vidimus, capite mulctatum nobis repræsentemus. Vis hæc *facultas fingendi*; actio vero illius *fictio* solet adpellari. Quod si fictio rationi congruat, & reapse bene cohærentia inter se apte consociet, uti faciunt periti Comici, & Artifices; *ingeniosæ inventionis* laudem consequitur.

239 Multi sunt, qui existiment, nullas rerum formas posse ope phantasiæ animo nostro objici; nisi quas jam ante aliquando sensibus perceperimus. Etiam tum, inquiunt, dum nostra fingendi facultate quidpiam efformamus; tametsi ideas eo modo compositas simul omnes sensu non hauserimus, singulas tamen sensuum ope nos comparasse oportuit: quemadmodum pictor, si e. g. equum alis instructum expingere velit, ideas equi, & alarum sensu comparatas habeat, est necesse. Atque hoc ipsum volunt significari illo Philosophi: *Nihil est in intellectu, quod non ante fuerit in sensu.* Sunt ex adverso aliqui, qui censeant, posse ex aliqua causa ita commoveri interiores nervulorum nostrorum partes, ut impressionem prorsus diversam faciant in *sensorio communi*, quam unquam facta fuerit per sensus: quod si eveniat, jam aderit in nobis imaginatio, quæ non sit sensationis prius habitæ redintegratio. Et sane non adparet, cur non posset fieri, ut nervuli sensorii ab aliqua intra ipsum corpus humanum causa fortius tensi, agitatique novas in communi sensorio motiones efficiant, quibus novæ, nec unquam prius habitæ ideæ in anima respondeant. Id quod Boerhaavius cumprimis in morbis acutis usuvenire censet.

240 De imaginatione hæc notato. I. Idea una recurrente solent aliæ quoque exsuscitari, si vel similitudo quædam inter illam & has intercedat, vel eodem tempore sint animo obversatæ. Testis est quotidiana experientia. Sic visa quapiam

turri facile exsuscitatur in nobis idea turris alterius, quam illi similem alibi forte vidimus. Item, recurrente loci phantasmate recurrere solent actiones ibi patratæ: viso inimico recrudescit injuria &c.

Schol. Ideæ, quarum una recurrente altera quoque recurrit, *consociatæ* solent nominari: quæ idearum consociatio etiam in bestiis deprehenditur. Sic canis ostentato baculo fugit, quod idea baculi admoneat ipsum verberum alias acceptorum. Dictæ idearum consociationi innititur etiam *memoria artificialis*. e. g. In vestibus nodum facere solemus, ut ejus idea recurrente recudantur in nobis ideæ illæ, quas habuimus tunc, dum nodum illum faceremus.

Coroll. Quemadmodum non est in nostra potestate semper, ut ea idea nobis recurrat, vel non recurrat, cui aliæ sunt consociatæ; ita etiam non est semper in nostra potestate imaginatio: utut deinde verum sit, eam exortam variis modis reprimi à nobis posse.

241 II. Quo fuerit clarior, aut frequentior, aut diuturnior, aut denique recentior sensatio; eo facilior est, vividiorque phantasmatis redintegratio. Hujus quoque legis veritatem experientia comprobat. Si e. g. palatium quoddam aut minutatim & clare, aut frequenter, aut diu, aut non ita pridem es contemplatus; ejus imaginem sat vividam absens quoque facile redintegrabis: at peregrini nominis, obiter & semel duntaxat, idque pridem conspecti ideam difficulter recudes.

242. III. Si sensus externi à suis functionibus conquiescant, imaginatio fortior est, & clarior. Mens enim tunc minus districta otium nanciscitur suam imaginandi vim eidem objecto magis applicandi. Hinc imaginationes in somnio vividiores sunt: hinc solitudo est Musarum patria. Democritus teste Cicerone *l.* 5. *Tusc. quæst.* oculis se ipsum privavit, ut naturæ secreta subtilius rimaretur.

243 IV. Quoties mens ideam rei cujuspiam sua imaginandi vi redintegrat, toties ideam materialem, quæ ideæ rei illius tum respondebat, dum ea sensu percipiebatur, redintegrari necesse est. Quoties enim mens sua imaginandi vi ideam rei cujuspiam redintegrat, toties inesse debet quidam in cerebro, quod imaginationi illi respondeat; quod inde patet, quia concors Medicorum testimonium est: morbo, cerebri potissimum, hebetari phantasiam. Atqui id, quod tum in cerebro inest, aliud esse non potest, quam dicta idea materialis: cum enim imago rei, ope phantasiæ redintegrata, ea ipsa sit, quæ prius ope sensus acquisita fuit; etiam id, quod eidem redintegratæ in cerebro respondet, non aliud sit, oportet, quam quod ipsi respondebat tum, cum sensus ope primum acquisita fuit: atqui tum quidem ei respondebat in cerebro certa materialis idea (232); ergo nunc quoque eadem idea materialis redintegrata ipsi respondeat, est necesse.

Coroll. Igitur quemadmodum sensatio, ita imaginatio etiam eo vividior est, quo vividior est idea materialis, ipsi respondens.

Coroll. 2. Si ergo quapiam è causa tam vivida sit objecti perceptio, ac sit ipsa rei præsentis sensatio; tum enimvero res in imaginatione sola exstantes pro reapse præsentibus habentur: propterea, quod eo casu imaginatio vivax à sensatione discerni non possit. Atqui hinc explicari possunt multa, quæ de ejusmodi hominibus passim narrantur, qui vel de mente prorsus dejecti, vel saltem admodum vivaci phantasiæ obnoxii, mira quæque videre, au-

dire, aut etiam certas in quibusdam membris suis adfectiones pati sibi videntur. Scilicet eadem protsus vehementia, legeque commovetur in ejusmodi hominibus commune sensorium, qua commoveretur certo quopiam objecto in externos eorundem sensus agente, aut qua commoveretur tunc, quum aliqua ipsorum membra certus morbus adfligeret: hinc in mente quoque easdem ideas enasci necesse est, quæ in dictis casibus enascerentur. Insigne hujus rei exemplum refert Malebranchius *l. 2. de Inquis. verit. p. 1. c. 7.* "Sane quodam, inquit, ægrotante factum est, ut ancilla candelam admoveret, dum ipsi ægro venæ pedis inciderentur: simul ac illa scalpellum vidit infixum, tantus pavor ipsius invasit artus, ut per triduum, aut quatriduum in eodem pedis loco, quem viderat incidi, senserit dolorem adeo acerbum, ut per illud tempus in lecto decumbere coacta fuerit." Qui quidem dolor verus utique fuit; at causa doloris erat phantastica: quatenus motio cerebri, qua anima ad eum dolorem percipiendum determinata fuit, orta est ex vivacissima adprehensione vulneris seni inflicti, non autem ex incisione in proprio pede facta. Quodsi eveniat, ut reapse male adfecta deprehendatur ea corporis pars, quam esse ejusmodi homo imaginatur; id inde provehire potest; quod, quemadmodum quum adfectionem alicujus membri sentimus, tremor nervorum cerebro communicatur, ita vicissim, quum id genus adfectionem vividius quis imaginatur, motus vehementior sensorii communis ad externam corporis partem, cum nimia nervulorum à cerebro ad partem illam protensorum agitatione, derivetur. (a)

244 V. Tametsi non sit semper in nostra potestate, ut quæpiam idea recurrat nobis, aut non recurrat (240 *cor.*); negari tamen vix potest, in nostro verti arbitrio, ut ex rerum imaginibus, quas aliquando percepimus, complures ad nutum revocare, animoque sistere possimus. Sic quis, nisi anticipata aliqua sententia de-

---

(a) *Digna notatu sunt, quæ de hujusm. imaginationibus adnotat Cl. Boerhavius* tom. 4. Prælect. Acad. in suas Instit. Med. n. 586. "*Si, inquit à causa interna, eadem & æque vivida impressio in sensorium commune facta fuerit, quæ quidem ab externo objecto solebat fieri; cogetur utique mens æque credere imaginationi, ac sensibus solet credere. Si sensorium meum commune ita dispositum fuerit, uti dispositum est, quando circulum rubrum ante oculos video; credam utique videre me circulum rubrum, licet decenti homines me circumstarent, qui communi consensu negarent adesse circulum rubrum. Homo melancholicus..... manebit in opinione, quam conceperit animo, donec violentus aliquis in corpore motus fiat, cujus impressio in sensorium commune fortior sit, quam causa interna ideæ præconceptæ: & tunc quidem liberabitur..... Id genus adeo errore laborantibus ut medearis, ne errori opponas frustra futura ratiocinia: tanta enim pro errore suo solertia ipsis est, ut nunquam eos confutes. Aliter aggrediendi sunt: assentiendum est ipsis, & invenienda est physica aliqua antithesis, delirio opposita: ita continuo restitues non aliter sanabiles. Quamprimum enim potes in sensorio communi validiorem excitare ideam, quam ridicula illa sit; statim restituta est æquabilis idearum distributio, & cum ea mentis verum judicium.*"

vinctus, inficiari potest, in sua voluntate repositum esse, ut e. g. vultum amici, aut parentum pro arbitratu præsentem sibi sistat? Quod hoc processu evenire censet Cl. Invancsicsius *Metaph.* n. 731. "Primum, »inquit, rem imaginatione exprimendam concipit mens alicunde »determinata per ideam, ab omni »corporea imaginatione abstractam: »aut, si solum intenditur imaginatio ad nutum mentis; per imaginationem remisiorem, debiliore sensorii communis commotione provocatam: tum ejusmodi impressionem insensorio communi impulsu »spirituum animalium efficit mens, »qualem res imaginatione exprimendæ, aut aliæ quædam sensibiles actione sua in externis sensoriis solent efficere; vel vero debiliorem »impressionem jam prius in eodem »communi sensorio factam intendit, »ac certa ratione modificat: hujusque »demum impressionis in sensorio »communi à se excitatæ perceptione »imaginationem, quam molliebatur, »perficit."

245. VI. Quo sæpius redintegratur quæpiam idea materialis, eo major est ejus denuo redintegrandæ facilitas. Amplissima enim inductione patet, sic esse natura comparatam corporis nostri machinam, ut, quo sæpius repetuntur in ea motiones quæpiam, eo major easdem instaurandi promptitudo acquiratur. Patet istud vel in Musicis; qui longa exercitatione miram instrumenta sua tractandi facilitatem adipiscuntur. Cum ergo ideæ quoque materiales sint quædam corporis nostri motiones (232); in his quoque frequens instauratio deinceps faciendæ instaurationis facilitatem pariat, est necesse.

246 VII. Complures sunt, qui existiment, per impressiones in organa sensuum factas, ubi ad cerebrum delatæ fuerint, illic vestigia quædam imprimi, quæ sint quasi materiales quædam imagines eorum objectorum, à quibus in organa sensuum factæ sunt impressiones. E sententia horum eousque potest idea quæpiam sensu acquisita instaurari per phantasiam, donec vestigia illa, seu idola, tempore sensationis cerebro impressa, perdurant. At verisimilius sane est, ideas materiales in solis nervulorum in ipso cerebro terminatorum motionibus consistere. Nam imprimis qui fieri potest, ut innumerabiles illæ tot rerum, quarum ideas redintegrandi potestate gaudemus, formæ in tam exigua corporis nostri portione concludantur? Deinde in adversa etiam sententia admittendæ sunt certæ motiones, quibus idola illa velut excitentur, mentique objiciantur, priusquam peragatur imaginatio; & quidem, si animum diligenter advertamus, aliæ sunt admittendæ motiones pro uno, aliæ pro alio id genus idolo excitando: si ergo diversæ hujusmodi motiones aptæ sunt ad idola diversa excitanda, cur, quæso, non possent esse aptæ ad hoc, ut mentem ad redintegrandas ideas rerum, aliquando sensibus usurpatarum, proxime determinent? Denique ideam saporis, soni &c. per phantasiam renovari non negabis, cum hæ rerum qualitates sensibus percipiantur: quod vero idolum putas imprimi posse cerebro, quod referendo sapori, sono sit accomodatum? Quodsi autem harum idearum redintegratio perfici potest absque ulla imagine materiali, cerebro impressa; non est sane, cur pro ceteris ideis id genus imagines, ac idola pro solo arbitrio comminiscamur.

Coroll. Ideæ materiales, quæ redintegrandis ideis earum rerum, quas aliquando sensibus usurpavi-

mus, serviunt, non insunt constanter cerebro actu. Cum enim sitæ sint in quibusdam motionibus nervulorum cerebri, diminuta celeritate, phantasiæque operatione sensim elanguescunt, ac intereunt, remanente sola nervulorum illorum ad easdem motiones recuperandas quadam facilitate.

247 Quando claris gaudemus sensationibus, *vigilare* dicimur: *dormimus* contra, quum nihil clare sentimus. Hinc *vigilia* est status sensationum clararum: *somnus* autem est ille status animæ, in quo ea sibi nullius sensationis est clare conscia.

248 Discernendi sunt in machina corporis nostri aliorumque animalium motus *vitales* ab iis motibus, qui speciatim *animales* vocantur. Motus *vitales* sunt: chyli, sanguinis elaboratio, motus cordis, arteriarum &c. *animales* vero dicuntur, qui sensationibus, & motibus spontaneis inserviunt. Jam quum dormimus, motus animales maxima ex parte conticescunt in nobis, at non item vitales. Evenit tamen quandoque, ut cessatio motuum animalium cum quadam etiam motuum vitalium remissione conjungatur: quo casu habetur id, quod *animi deliquium* vocamus.

249 His notatis intelligi possunt ea, quæ Cl. Vaterus *Phys. exp. s. 7. art. 2.* de somno adnotat. " Quamprimum, inquit, succus nervorum » à sua expansione, & elasticitate » remittit, eo ipso quoque fibræ or» ganorum motrices à tensione sua » remittunt, flaccescunt quodam» modo, & consequenter sensus om» nis, motusque languent: imo ad » tempus aliquod plane cessant, do» nec novo è sanguine succo repleantur, & ad pristinam extensionem » redigantur. Atque hæc remissio, » & quies sensus, motusque anima» lis dicitur somnus. Notanter vero » dicitur quies, & remissio tantum » in sensibus, & motibus animalibus » in specie dictis, non vero vitali» bus, quod salva vita fieri non po» terat: eaque à succi in nervis ali» qua imminutione, vel solum con» densatione, & contractione, quæ » à variis admodum causis tam na» turalibus, quam præternaturalibus » eidem contingunt; & quidem 1) » ab imminutione succi istius spiri» tuosi per labores, vigilias, curas, » & similia; 2) à defectu ipsius succi » nutritii spirituosi, sive naturali, » ut in senibus, sive præternatura» li, ut in ægris; 3) ab ipsius succi » lentore, crassitie, fixitate, crudi» tate, vel copia nimia, quæ omnia » elateri maxime resistunt: unde et» iam est, quod phlegmatici, & ebrii » maxime in somnum propendeant, » & contra. His 4) accedunt etiam » alia, quæ succi istius mobilitatem » tollere, & impedire possunt; ut » medicamenta opiata, venena, & si» milia. Quamprimum vero per quie» tem istam vires è sanguine rursus » colligit succus ille, id quod com» muniter intra 6 vel 7 horas contin» git; eo ipso quoque nervos, fibras» que replet, ut ad munia sua re» deant. Si causæ præternaturales » accedunt, etiam diutius durat, vel » plane in apoplexiam terminatur." Ut autem pateat, quidnam nomine *causarum præternaturalium* hoc loco intelligatur; notandum est, omnem corporis statum morbosum à Medicis vocari *præternaturalem*.

Schol. Hæc eorum quoque sententiæ accommodari possunt, qui nervos sensorios non censent esse tubulos excavatos, spiritibus animalibus refertos. Nam in eorum quoque sententia nervorum elasticitas, & ad recipiendos motus structuræ suæ convenientes promptitudo à subtili quo-

dam fluido, quod *spirituum animalium* nomine insignire liceat, pendere potest: ut expendenti facile patet.

250 Somnus generatim sumptus dividitur in somnum profundum, & in somnium. Somnus *profundus* est, quum anima non tantum sensationibus claris distituta est, sed neque alterius cujuspiam ideæ conscientiam habet. *Somnium* autem est status medius inter vigiliam, & somnum profundum, in quo anima, utut sensationibus claris destituta sit, quasdam tamen rerum imagines sibi obversantes habet.

Coroll. Quoniam, quum dormimus, destituimur sensationibus claris (247.); consequens est, somniantibus nobis facultatem imaginandi, seu *phantasiam* operari, ideasque, quæ tunc menti nostræ obversantur, ad phantasmata esse referendas.

Schol. Somnium pro statu mentis superius explicato acceptum dicitur somnium *subjective* spectatum; *objective* autem spectatum est ipsa series rerum, quarum ideæ in illo statu menti obversantur. Unde patet, somnium subjective spectatum, utpote realem quempiam animæ nostræ statum, non carere ratione sufficiente; carere autem somnium objective spectatum, quum series illa rerum, quarum ideæ somniantibus nobis obversantur, nuspiam existat saltem, ita, uti eam somniando nobis repræsentamus. Recole n. 16.

251 Quod ad originem somniorum attinet: ii, qui cum Wolfio sentiunt, ajunt, omne somnium à sensione aliqua, tanquam à principio proficisci; adduntque, etsi dificile sit eam sensionem, quæ somnio initium fecerit, à phantasmatis internoscere, fieri tamen interdum, ut è somno experrecti ejusdem recordemur. At nullo sane firmo argumento potest evinci, non evenire sæpius nobis dormientibus, ut absque ulla sensatione eæ motiones excitentur ab interna quapiam causa in cerebro nostro, quæ ad habenda somnia sufficiant.

Schol. Tametsi *memoria* quoque ad inferiorem facultatis cognoscendi partem revocari posset, quod ea nobis cum bestiis aliqua ex parte communis sit; malumus tamen cum quibusdam eandem, utpote homini magis convenientem, superiori facultatis cognoscendi parti adsignare. Sequente adeo capite de illa nobis sermo erit.

CAPUT SECUNDUM.

De superiore humanæ mentis cognoscendi facultate.

§. I.

De intellectu, ingenio, judicio, & ratione.

252 *Intellectus* est ea mentis facultas, qua res distincte, & cum suis notis ita repræsentamus, ut comparativo quodam judicio à ceteris rebus discernere, explicareque noverimus. Hinc vulgo etiam tum demum dicimur quidpiam *intelligere*, quum distinctam ejusdem notionem adipiscimur. Cognitio, quæ ab intelligendi vi proficiscitur, *intellectio* solet nuncupari.

Coroll. Cum ergo distinctas rerum notiones obtinendi vim inesse nobis, sensu intimo comperiamus; mens nostra intellectu prædita sit, oportet.

253 De intellectu hæc cumprimis notanda sunt. I. Quo plura, & quo distinctius potest quis cognoscere, eo perfectiore intellectu pollet.

254. II. Discernendæ sunt intel-

lectiones à meris sensationibus, imaginationibusque. Sic homo emotæ mentis, & parvulus, qui necdum rationis compos est, sentiunt objecta sensibus suis rite adplicata, at non intelligunt; non enim valent eadem à rebus ceteris comparativo quodam judicio secernere, ut ex eorundem actionibus rite colligimus. Nempe sensationes, imaginationesque nonnisi confusæ quædam rerum cognitiones sunt.

Schol. Card. Ptolomæus *Phys. part. Diss.* 4. ait, intellectiones à sensationibus haud posse clarius discriminari, quam ea notitia, quam quisque de suo *sentire* habet.

255. III. Abstractæ rerum notiones ab intellectu promanare debent. Cum enim nihil in nostros sensus incurrere possit, quod non omnimodis determinatum sit; abstractæ rerum notiones à sensationibus, & imaginationibus secernantur, oportet: eo ipso autem veritas adserti patet. Imo nulla sane intellectio inesse in nobis potest, quæ non alicujus abstractionis (Log. 21) ope perficiatur. Nam si e. g. librum hunc contempler, esseque librum *intelligam*; id profecto non aliter fit, quam notam omnibus hujusmodi individuis communem ab hoc individuo abstrahendo, atque ita notionem *libri* efformando

Coroll. Cum ergo generum, atque specierum notiones abstractæ sint (Log. 22. & 34.), eas ad intellectum pertinere, in confesso est.

256 IV. Intellectus in obtinendis distinctis rerum ideis plurimum adjuvatur attentione, & reflexione. Est vero imprimis *attentio* ea mentis actio, qua hæc è rebus pluribus sibi simul propositis quasdam fixius, & accuratius contemplatur, ceteris quodammodo neglectis. Unde si e. g. dum oculis tuis integrum palatium quoddam objicitur, mens tua potissimum in ejusdem porta contemplanda occupetur; ad ejus palatii portam *attendis.* Deinde *reflexio* ea mentis actio dicitur, qua illa cujuspiam *totius* sibi propositi partes omnes minutatim, & attente perlustrat, ac dispicit. e. g. Si cujusdam palatii partes omnes diligenter, & attente oculis, animove lustres; in palatium illud mentem *reflectis.*

Coroll. Distinctas rerum ideas potissimum attentione, reflexioneque obtineri, vel inde patet, quod attentione fiat, ne animus ad plura simul objecta contemplanda distrahatur, reflexio vero efficiat, ut singulæ totius partes diligenter in examen revocentur: quare qui distinctas rerum notiones animo conformare vult, is usum attentionis, reflexionisque familiarem sibi reddat, oportet.

257 V. Cum objecta notionum abstractarum sensibus percipi, aliisque coram exhiberi non possint (*Log.* 21. *cor.* 2.); si eadem ab se invicem discernenda, aliisque communicanda sint, signa quædam vicaria in subsidium vocare solemus: cujusmodi sunt vocabula; item lineæ, formulæ algebraicæ &c. Jam cognitio, qua res ope id genus signorum repræsentamus, *symbolica*; qua vero res velut in se ipsis intuemur, quin ejusmodi signa vocemus in subsidium, *intuitiva* solet adpellari. e. g. Dum diversas quantitates diversis signis exprimis in operationibus algebraicis, symbolicam habes earum cognitionem: dum librum hunc coram intueris, oculisque usurpas, intuitiva ejusdem cognitione gaudes.

Schol. Quantum insit adjumenti in signis ad distinctas rerum ideas consequendas, optime norunt Geometræ; qui eorum adminiculo in profundissimarum veritatum cognitionem devenire solent.

258 VI. Intellectio, cui nihil

confusi, nihil obscuri admiscetur, *pura*; sin minus, *non pura* solet nominari. Cum ergo confusæ, obscuræque perceptiones ad sensum, & imaginandi facultatem pertineant, intellectio pura est, quæ ab omni sensatione, imaginationeque depurgatur; non pura, cui ex his quidpiam est aspersum. e. g. Si quis veritatem cujuspiam axiomatis adsequatur, quin ullis sensuum, vel phantasiæ ideis utatur; is veritatis illius intellectionem puram obtinet: qui vero Angeli notionem animo conformare nequit, quin eum sub imagine pueri alis instructi sibi sistat; intellectioni non puræ est obnoxius.

259 VII. *Acumen* intellectus est facultas in eodem objecto multa, & facile distinguendi. Sic oculos etiam eo *acutiores* esse dicimus, quo plures & minutiores partes in objecto discernunt. *Profunditas* ejusdem est facultas notiones compositas in sua membra resolvendi, ac veluti dissuendi.

Coroll. Hinc eo profundior est intellectus, quo longius progredi potest in analysi, seu resolutione notionum.

260 *Ingenii* vocabulo non omnes idem intelligunt. Tullius *lib.* 5. *de fin.* hoc nomine docilitatem, & memoriam simul complectitur. Quibusdam *ingenium* significat ipsum acumen & simul profunditatem intellectus: plerique tamen eo vocabulo illam intellectus nostri facultatem designant, qua rerum inter se collatarum similitudines pervidemus. Unde etiam Poeta *ingeniosus* dicitur, si aptis similitudinibus commenta sua exornare noverit.

261 *Judicium*, quum hoc nomine facultatem mentis designamus, est vis clare, prompte, ac solide percipiendi concordiam, aut discordiam duarum quarundam idearum, apteque de objectis propositis pronunciandi. Profecto dum quempiam *boni judicii* esse dicimus, hanc ejus dotem volumus indicare.

262 Certum imprimis est, veritates universales ita connexas esse, ut una ex altera deduci, demonstrarique possit, deinde inesse in nobis vim, qua ejusmodi nexus distincte percipiamus. Vis hæc *ratio* nuncupatur.

Coroll. 1. Igitur quo plurium veritatum nexus, & quo promptius, distinctiusque pervides, eo majore gaudes ratione.

Coroll. 2. Tunc *ratiocinatur* quispiam, cum ex notis quibusdam veritatibus alias, quæ cum illis connexæ sunt, eruit, ac deducit.

Coroll. 3. Intellectus, qui distincte ratiocinari, pluresque ratiocinationes apte, ac prompte contexere, valet, *solidus* dicitur. Igitur eo majore intellectus *soliditate* polles, quo aptius, promptiusque ratiocinaris, atque ratiocinationum colligationes instituis.

Schol. Solet ratio *objective*, ut ajunt, sumi pro ipsa veritatum connexione. Hinc *rationi conforme* dicitur, quidquid cum veritatibus cognitis connexum est; *rationi difforme*, quidquid cum iisdem pugnat. Ethicis *ratio* est illa regula morum, cui actiones nostras conformare debemus, si felicitatem veram adipisci volumus &c.

263 Dubitari nequit, quamlibet intellectus nostri actionem cum certis cerebri motionibus connexam esse. Compertum enim est, debilitate, languoreque capitis intellectum minus habilem reddi ad peragendas suas functiones; item intensis, immoderateque continuatis meditationibus lædi caput, infirmarique. Quorum non alia utique ratio est, quam quod in priore casu cerebrum minus

habile sit ad eas motiones, à quibus intellectus functiones dependent, in altero autem intensis meditationibus ejusmodi motiones respondeant in cerebri fibrillis, quibus hæ immoderate distrahantur, contorqueanturque.

Coroll. 1. Hinc patet, cur eæ intellectus nostri facultates, de quibus adhuc egimus, usu frequenti, ac exercitatione augeri possint. Quo enim frequentius exercentur aliquæ fibrillarum motiones in nobis, eo major acquiritur ad easdem, ac proinde etiam ad actiones intellectus cum illis connexas promptitudo.

Coroll. 2. Id etiam ex dictis colligi potest, cur unus altero quadam congenita sibi naturæ felicitate habilior sit ad intellectum suum excolendum: quod nempe unus alio ipsius naturæ beneficio aptius cerebrum sortiri possit ad recipiendas id genus motiones, quæ ad intellectus varias functiones requiruntur.

264 Non erit abs re hoc loco aliqua adnotasse, quæ ad excolendas conservandasque intellectus dotes pertinent. I. Attentionem, egregium illud distinctas rerum notiones acquirendi subsidium (256), frequenti exercitatione augeri posse, palam est. In pueris vix aliquam observamus attentionem: in adultis mens ad ea objecta magis potest attendere, in quibus eorum attentio jam sæpius ante defixa hæsit. Sic Poeta facile attentionem præbet versibus: Mathematicus in calculis, aut figuris geometricis facilius quam alter mentem defixam tenet. Exercitio id quoque adsequi licet, ut attentio pluribus simul objectis applicari possit. Sic Julius Cæsar fertur, eodem tempore, quo ipse epistolam scripsit, quatuor aliis scribentibus epistolas dictare potuisse.

265 II. Idem de Judicio tenendum esse, vel inde patet, quod ii, qui certam disciplinam profitentur, de rebus ad suam disciplinam pertinentibus apte judicare soleant; tametsi ceteris in rebus exigui sæpe judicii esse deprehendantur. Antonius Genuens. *Log. lib.* 5. *c.* 1. ait, judicii dotes acquiri lectione optimorum librorum, exercitatione rerum difficillimarum, & utilium, perpetuis disputationibus cum iis, qui mente, & judicio valent &c.

266 III. Intellectus longiori labore excultus intermisso usu sensim ad nativam tarditatem relabi potest: quippe fibrillæ cerebri neglectu velut obrigescunt, prioremque ad certas motiones promptitudinem deperdunt. Hinc qui intellectum suum iis dotibus, quas operose comparavit, sensim privari non vult, ab earundem jugi usu, exercitationeque desistere non debet.

§ II.

De memoria.

267 Inest in nobis facultas, qua mens ideas non modo rerum sensibilium, sed etiam à sensibus abstractarum, aliquando habitas instauret, simulque agnoscat, illas omnino easdem esse, quas jam prius habuit. Hæc mentis facultas *memoria* vocatur.

Coroll. Plus ergo est *meminisse* rei cujuspiam, ac sit, refingi duntaxat in nobis pristinam ejusdem notionem. Tametsi enim refingatur in nobis idea rei cujuspiam, nisi tamen agnoscamus simul, ideam hanc esse eandem, quam jam alias habuimus, ejus rei non meminimus.

268 Memoria tribui solet in sensitivam, & intellectualem. *Sensitiva* ideas per sensus haustas; *intellectualis* intellectiones recognoscit.

269 Memoriam à certa cerebri constitutione pendere, certum est. Constat enim certis morbis cerebrum adficientibus memoriam labefactari, eorumque nonnunquam oblivionem induci; quæ prius operose condidicimus. Sic Plinius *Hist. nat. lib.* 7. *cap.* 24. "Ictus, inquit, lapide oblitus est literas tantum; ex præalto tecto lapsus matris, & affinium, propinquorumque cœpit oblivionem; alius ægrotus servorum tantum." Cujus ratio alia profecto non est, quam quod morbo perturbetur ea cerebri constitutio, à qua memoria dependet. Porro eorum sententia, qui censent, memoriam eatenus pendere à certa constitutione cerebri, quatenus huic, vi motuum singulis perceptionibus nostris respondentium, imprimantur simulacra quædam rerum perceptarum, & imagines diutius perduraturæ, sustineri nequit; ut patet ex iis, quæ num. 246 dicta sunt: dicendum ergo est, memoriam, quatenus est in cerebro, consistere in facilitate fibrillarum cerebri ad eosdem motus recuperandos, quibus agitabantur tum, cum percepimus ea objecta, quæ memoria retinemus. Nempe ejusmodi commotio cerebri recurrens vicem obit ejus commotionis, à qua prima objecti perceptio pendebat; quare ipsa etiam idea objecti recurrat, oportet.

Coroll. 1. Plus est meminisse rei, ac sit pristinam ejusdem notionem in nobis refingi (267. *cor.*): ergo ad præsentem recordationem rei cujuspiam neque in cerebro sufficit eandem adesse fibrillarum commotionem, quæ primæ ejusdem rei perceptioni respondit; sed adesse præterea quidpiam debet, quo mens quasi admoneatur, ideam præsentem ex earum esse numero, quas illa jam ante habuit.

Coroll. 2. Notione quapiam menti recurrente solet etiam aliarum eidem consociatarum series recurrere: quare pariter recurrente motione cerebri, quæ dictæ notioni respondet, recurrant, oportet, aliæ quoque ejusdem motiones, à quibus idearum consociatarum series dependet. Atque hæc motionum connexio argumento potest esse menti, ut omnes eas ideas recognoscat: cum ejusmodi connexio non soleat adesse tunc, quum prorsus nova est idea, quæ menti obversatur. e. g. Obviam tibi fit quispiam, quocum anno præterlapso in eodem diversorio prandisti. Commotio cerebri, quam in te visio hujus hominis consequitur, eadem est; quæ tibi anno præterlapso inerat, connectebaturque cum aliis motionibus, ad ideas diversorii, prandii &c. pertinentibus. Recurrente igitur commotione hac, illæ quoque instaurantur; unde ideam quoque hominis visi comitantur ideæ absentis diversorii, prandii &c. Quod ubi evenit, advertit anima, ideam hujus hominis, quem modo præsentem contuetur, se jam una cum idea diversorii, prandii &c. habuisse, eamque recognoscit.

Coroll. 3. Cum memoria pendeat à motionibus cerebri; tamdiu quidpiam retinemus memoria, quamdiu perseverat in cerebro facilitas & promptitudo ad recuperandos eos motus, à quibus revocatio idearum præteritarum dependet. Unde patet, cur memoria morbo acuto, inflictis capiti verberibus, senectute ipsa &c. debilitari soleat.

270 Ex hactenus dictis intelligere licet, memoriam arte, industriaque excoli, ac roborari posse. Ars memoriam perficiendi *ars mnemonica* nuncupatur. Ac 1.*mo* roboratur memoria frequenti exercitio.

Sunt, qui augendæ memoriæ gratia quotidie certum numerum versuum, primis quidem diebus minorem, tum sensim majorem semper ac majorem, memoriæ mandent; dum ad certum denique numerum eorundem deveniant, constanter deinceps pro quotidiano memoriæ penso retinendum. 2.*do* Juvatur memoria rerum ordine, distinctaque singularum perceptione. e. g. In objecto quopiam distinguis quatuor partes A, B, C, D; hoc ipso ordine se se consequentes. Imprimis solum A attente contemplare, abstrahendo mentem à ceteris partibus; deinde ad B, C, D, pedetentim transfer attentionem. Quodsi hoc facto demum ad ordinem illum, quo partes illæ se se consequuntur, animum adverteris; earundem ideas mire consociabis, mentique imprimes.

3.*tio* Multum ad memoriam confert scriptio compendiaria, seu ut vocant, *tabulæ mnemonicæ*. Si nimirum ea, quæ condidicisti, velud in pugnum contracta, breviter in chartam conjicias. 4*to*. *Repetitio frequens*. Quæ enim diu, & frequenter meditamur, tenacius imprimuntur. 5.*to* Si certis locis, e. g. diversis templi partibus, & angulis adsignes, & velut adfigas diversas partes orationis &c.

Schol. Stupenda memoriæ exempla legimus literis consignata. De Cyro Rege narrat Plinius *lib. 7. cap.* 24, eum singulos numerosissimi sui exercitus viros nominatim fuisse allocutum. Theodoctes fertur ut cunque multos versus auditos mox de memoria recitare potuisse. Seneca de se ipso "Duo, inquit, millia nomi„num, quo erant ordine recitata, „referebam; & ab his, qui ad au„diendum præceptorem nostrum con„venerant, singulos versus à sin„gulis datos, cum plures essent „ducentis, ab ultimo incipiens us„que ad primum recitabam."

271 *Memoria labimur*, si ideam tametsi jam, immutatam, multumque discrepantem pro eadem habeamus, quam alias jam in nobis exstitisse conscientia testatur. e. g. Vidisti nuper amicum tuum in foro. Hodie recurrit tibi ejusdem idea, sed quæ illum in porta Urbis tibi obviam factum sistat. Quodsi ergo illic eum à te visum putes, memoria laberis. Nempe ideam illam, quam habuisti, dum amicum in foro videras, non refingit fideliter phantasia, verum adjuncta loci commutat; qua commutatione in errorem induceris, qui *lapsus memoriæ* nuncupatur.

272 Sæpe cum ideam rei cujuspiam in memoriam revocare, aut revocatam agnoscere volumus, id non aliter consequimur, quam advertendo animum ad adjuncta personarum, loci, temporis &c. Hinc si à quopiam; quocum ante complures annos tibi familiaritas intercessit, agnosci velis; eidem quædam loci, temporis, actionum &c. adjuncta refricas, quorum subsidio tui meminisse queat. Dum hac ratione quidpiam in memoriam revocamus, *reminisci* dicimur. Is vero status, mentis, in quo pristinam ideam rei prorsus nequimus instaurare, *oblivio* solet nominari.

Coroll. Cum ideas nostras potissimum vocabulis soleamus adfigere, facile patet, vocabula esse præcipua reminiscendi instrumenta.

273 Atque hæc de memoria sufficiant; cujus distincta enucleatio nostram intelligentiam prorsus exuperat. Id unum addo: eorum sententiam, qui ut arcana memoriæ facilius explicent, e singulis perceptionibus in ipsa adeo mente vestigia quædam redintegrandis deinceps præteritis ideis servitura, relinqui fingunt, omnino rejiciendam esse. Audiamus enim

Tullium: " Utrum capacitatem ali-
» quam, quærit ille *lib.* I. *quæst. Tusc.* » in animo putamus esse, quo tan» quam in aliquod vas ea, quæ me» minimus, infundantur? absurdum » id quidem: qui enim fundus, aut » quæ talis animi figura intelligi po» test? aut quæ tanta animo capaci» tas? An imprimi, quasi ceram, ani» mum putamus, & memoriam esse » signatarum rerum in mente vesti» gium? Quæ possunt verborum, » quæ rerum ipsarum esse vestigia?"

CAPUT TERTIUM.

De adpetitu, & voluntate.

§ I.

De adpetitu; ubi etiam de adfectibus.

274 *Bonum* generatim sumptum dupliciter solet à nobis considerari: nimirum *absolute*, seu secundum se, & *relative*, seu prout ad nos refertur. *Absolute* consideratum est, quidquid aliqua perfectione præditum est; *relative* autem, quidquid aliquam nobis perfectionem conciliat, finibusque nostris est accommodatum. Hoc loco bonum cumprimis *relative* sumptum consideratur.

275 Cum malum bono opponatur, malum *absolute* id esset, quod omni perfectione caret; cujusmodi ens nullum dari, patet è num. 52, & 53: malum autem *relative* sumptum est, quod nos imperfectiores reddit, finibusque nostris adversatur.

Coroll. Id, quod reapse bonum est, potest nobis adparere malum, & contra: aliud est ergo bonum, vel malum *verum*; aliud *adparens* duntaxat.

276 Ea animi nostri adfectio, quæ in nobis è boni cujuspiam perceptione oritur, *voluptas*; quæ autem mali perceptionem consequi solet; *tædium* nuncupatur. Porro voluptas tribuitur in sensualem, & mentalem. *Sensualis* est, quæ confusam boni perceptionem ope sensuum, vel phantasiæ genitam consequitur; *mentalis*, quæ è distincta boni repræsentatione ope intellectus facta proficiscitur. e. g. Sensualis voluptas est, quam è cibo, potuque capis: mentalis, quæ distinctam scientiæ, qua imbutus es, repræsentationem in animo tuo comitari solet. Idem de tædio judicium esto.

277 Sensus ille, qui blandam nervorum in corpore nostro commotionem consequitur, *titillatio*; qui vero nascitur ex eorundem violenta tensione, aut solutione, *dolor* nuncupatur. Hinc titillatio ad voluptatem, dolor ad tædium referri debet.

278 *Adpetitus* generatim est ea mentis facultas, qua hæc ad bonum perceptum inclinatur, à malo autem percepto avertitur. Prior actio hujus facultatis *adpetitio*; altera vero *aversatio* solet nominari. Porro dividitur adpetitus in sensitivum, & rationalem. *Sensitivus* est, vi cujus inclinamur in bonum, ope sensuum, vel phantasiæ confuse cognitum, aut avertimur à malo, itidem ope sensuum, vel phantasiæ percepto: *rationalis*, qui occupatur circa bonum, aut malum ab intellectu distincte propositum.

Coroll. I. Intelligitur hinc, quæ adpetitio, aversatioque *sensitiva*, quæ contra *rationalis* dicenda sit.

Coroll. 2. Adpetitum sensitivum cum ipsis bestiis communem nobis esse, in confesso est.

Schol. Multi *adpetitus* vocabulo id ipsum intelligunt, quod nobis adpetitio est; ipsam vero vim, à qua ad-

petitiones, aversationesque proficiscuntur, *adpetendi facultatem* vocare malunt.

279 Propositio I. Perceptionem boni semper voluptas quædam, mali vero perceptionem tædium quoddam in nobis consequitur. Utrumque istud ex intimo sensu clarum est.

Coroll. Quemadmodum ergo repræsentatio boni aut mali suos gradus habere potest, prout nempe majus aut minus bonum, vel malum, vividius, aut minus vivide repræsentatur; ita etiam voluptas, aut tædium enascens diversos intensionis gradus habere potest.

280 Propositio II. Perceptio boni, eique adjuncta voluptas est sufficiens ratio adpetitionis; perceptio autem mali cum adjuncto tædio est ratio sufficiens aversationis. Utrumque rursum sensus intimus diligenter examinatus docet. Unde Tullius etiam *lib.* 4 *quæst. Tusc. cap.* 6. "Ut »bona, inquit, natura adpetimus, »sic à malis natura declinamus."

Coroll. 1. Quando ergo perceptio boni aut mali non est in nostra potestate; nec est in potestate nostra, ut enascatur in nobis, vel non enascatur adpetitio, aut aversatio.

Coroll. 2. Si ergo quidpiam sensus, aut phantasia sub ratione boni, intellectus vero idem sub ratione mali repræsentet, aut contra; adpetitionem sensualem cum aversatione rationali, aut contra, collidi est necesse. Qui animæ status *pugna adpetitus sensitivi*, & *rationalis* vocari solet. Hujusmodi pugnam experitur æger, dum partim abhorret à medicina, quod ea palato adversetur, partim adpetit eandem, utpote sibi profuturam.

Coroll. 3. Quemadmodum in nostra potestate est, ut ab objecti repræsentata bonitate mentem abstrahamus, potiusque defectus ejusdem, ac malitiam contemplemur, aut contra; ita in nostra potestate est, exortam in nobis adpetitionem sedare, vel etiam in aversationem commutare, & vicissim.

281 Propositio III. Nihil adpetimus, nisi sub ratione boni; nihil aversamur, nisi sub ratione mali. Utrumque intima conscientia testatur. Certe tum etiam, cum quispiam adpetit id, quod ipsi aperte malum est, aliquam in eo boni rationem sibi repræsentet, adeoque id *ut bonum* adpetat, oportet. Hinc Cicero *lib.* 5. *de finib. cap.* 10. "Quotiescunque, in»quit, dicetur male de se quis me»reri, sibique esse inimicus, atque »hostis, vitam denique fugere; in»telligatur aliquam subesse ejusmo»di causam, ut ex eo ipso possit in»telligi, sibi quemque esse carum."

282 Adpetitio, vel aversatio sensitiva, si vehementior sit, & cum insolita quadam sanguinis, fluidique nervei commotione conjungatur, *adfectus* nominari solet.

Coroll. In omni ergo adfectu voluptas quædam, vel tædium, & quidem mentem vehementius percellens, reperitur (279), unde etiam alii sunt adfectus *grati*, vel *jucundi*, *molesti* alii.

283 Adfectus dividuntur in primigenios, & derivativos. *Primigenii* dicuntur, qui sunt veluti fontes reliquorum omnium adfectuum: ii autem, qui è primigeniis, veluti surculi quidam promanant, vocantur *derivativi.*

284 In statuendis primigeniis adfectibus non consentiunt Philosophi: mihi eorum probatur sententia, qui gaudium, & tristitiam pro fontibus reliquorum adfectuum habent.

285 Ad gaudium grati adfectus revocantur. Scilicet *hilaritas* est gaudium è mali cessatione proveniens. *Amor* est gaudium ex alterius

perfectione. *Spes* ex bono futuro minus certo. *Fiducia* ex bono futuro certiori. *Cupiditas* ex conatu bonum obtinendi. Quodsi cupiditas erga bonum difficulter obtinendum conjuncta sit cum fiducia difficultates superandi; vocatur *animositas*. *Gloria* est gaudium ex benigno aliorum de nobis judicio &c.

286 De adfectibus, quæ ad tristitiam revocantur, hæc habe. *Pusillanimitas* est tristitia ex difficultate boni obtinendi. *Desiderium* est tristitia ex retardatione boni sperati. *Metus* ex malo, quod nobis obvenire posset. *Timor* ex malo adpropinquante. *Horror* ex malo ingenti. *Desperatio* ex malo intolerabili, quod tamen evitari nequeat. *Terror* ex malo improviso. *Pœnitentia* ex iis, quæ nos male egisse existimamus. *Pudor* è sinistro aliorum de nobis judicio. *Commiseratio* ex alterius infelicitate. *Ira* ex injuria nobis, aut aliis illata, cum adversatione personæ eam inferentis &c.

§. II.

De voluntate, libertateque humanæ mentis.

287 Ea mentis actio, qua illa se se ad amplectendum bonum, ab intellectu repræsentatum ultimo determinat, *volitio*; qua vero sese ultimo determinat ad malum fugiendum, *nolitio* dicitur. Facultas harum actionum *voluntatis* nomine venit. Ratio illa qua voluntas ad amplectendum bonum, vel rejiciendum malum incitatur, *motivum* nuncupari solet.

Coroll. 1. Voluntas ergo suis in actionibus ductu prælucentis intellectus eget. Unde vetus illud: *ignoti nulla cupido.*

Coroll. 2. Nihil adpetimus, nisi sub ratione boni, nec adversamur quidquam nisi sub ratione mali (281): motivum ergo volitionis sola bonitas, nolitionis autem sola malitia objecti esse potest.

Coroll. 3. Cum voluntas *cæca* sit, si ei non præluceat intellectus; ut actus quispiam voluntati adsignari possit, dicique *voluntarius*, is ab eadem voluntate cum prævia cognitione proficiscatur, oportet. Unde ejusmodi adjuncta, quæ nullo modo prævidentur, voluntati attribui non possunt. Sic si prorsus non dubitares feram esse, quod se se in dumeto movet, & hujusmodi errore, ut Ethici vocant, *invincibili* impulsus feræ loco hominem illic latitantem plumbeo globo perimeres; homicidium illud tibi voluntarium nequaquam esset.

Coroll. 4. Igitur duo maxime sunt opposita voluntario: nempe vis, seu coactio, & ignorantia. Coactione enim (quæ definiri solet *impetus propensioni voluntatis contrarius, qui repelli non potest*) efficitur, ut inviti agamus, vel potius agamur, ut dum quis nequidquam reluctans terræ adliditur; ignorantia vero præviam cognitionem excludit: ac proinde utroque voluntarium tollitur (*cor.* 3.)

288 Voluntas, quoniam prælucentis intellectus ductu regitur, *adpetitus rationalis* nominari potest. Quia tamen adpetitus rationalis num. 278. definitus; est potentia necessaria, volitiones autem, nolitionesque liberas competere nobis, ostensuri sumus; facultatem harum actionum, seu *voluntatem* ab adpetitu rationali num. *cit.* descripto discernamus, oportet. Ceterum, si lubet, duas mentis facultates uno eodemque *adpetitus rationalis* nomine complecti potes; modo addas, alias esse adpetitus rationalis actiones, quæ appetitiones, adversationesque dicuntur, suntque necessariæ; alias, quæ volitionum, nolitionumque nomine veniut, quibusve libertatem veram

competere ostensuri sumus.

289 *Actus liber* generatim dicitur, qui vel absque ulla necessitate pro arbitratu exercetur, vel tametsi necessario, sponte tamen, & absque ulla coactione fit. Hinc in actibus voluntatis duplex libertas est discernenda: libertas à coactione, & libertas à necessitate. *Libertas à coactione* est facultas ex inclinatione, determinationeque propria quidpiam agendi, quin agens ulla vi propensioni suæ voluntatis contraria ad agendum adigatur. Hac libertate amant Beati Deum in cœlis; etsi enim illum non amare non possint, sponte tamen, & libentissime amant. *Libertas à necessitate*, quæ etiam *libertas indifferentiæ*, item *liberum arbitrium* dici solet, est facultas, vi cujus positis omnibus ad agendum requisitis potest actio poni, vel omitti, aut etiam actio contraria exerceri.

Coroll. Igitur non omnis actio voluntaria est simul libera libertate indifferentiæ. Nam profecto amor ille, quo in Deum Beati feruntur in cœlis, iisdem voluntarius est, tametsi simul necessarius.

Schol. Dum actio quæpiam absque omni addito dicitur *libera*, intelligitur libertas sensu stricto, & proprio sumpta, seu libertas *à necessitate*; eæ quippe actiones, quæ à sola coactione liberæ sunt, *spontaneæ* potius, quam liberæ dicit solent.

290 Libertas indifferentiæ alia est contradictionis, alia contrarietatis. *Libertas contradictionis*, seu libertas *quoad exercitium* adest, si potentia est libera ad agendum, vel ad omissionem actionis. Quodsi potentia se possit extendere vel ad actum, vel ad ejusdem oppositum, e. gr. ad amorem, vel odium; gaudet *libertate contrarietatis*, quæ vocatur etiam *libertas quoad speciem.* Quidam addunt etiam *libertatem diversitatis*, quæ est facultas illa, qua eligitur actio hujus, vel illius generis, diversi quidem, at non oppositi; e. g. amor præ dolore.

Coroll. 1. Duo illa, quorum alterutrum pro arbitrio eligere potest potentia libera, solent *extrema libertatis* vocari. Igitur extrema libertatis contradictionis sunt duo contradictoria, nempe *agere*, & *non agere*: extrema vero libertatis contrarietatis duo contraria, e. g. amor, & odium.

Coroll. 2. Causa, quæ omnibus ad agendum requisitis instructa est, dicitur esse *in actu primo proximo*, ita ut actus primus proximus complectatur tam ipsam causæ agendi vim, quam etiam reliqua ad agendum requisita (98. *cor.*) Cum ergo libertas indifferentiæ sit illa, vi cujus ab agente habitis omnibus ad agendum requisitis potest actio poni, vel omitti, aut etiam actio contraria excerceri; palam est, actum primum proximum libertatis indifferentiæ ejusmodi esse debere, qui secundum se spectatus non sit cum definito quodam libertatis extremo necessario connexus, sed ad utrumque indifferens.

Coroll. 3. Igitur ad actum primum proximum libertatis indifferentiæ præter ipsam agendi vim, ad definitum libertatis extremum natura sua non determinatam requiritur 1) *cognitio indifferens*, quæ nempe objectum proponat cum motivis in partem utramque ita, ut potentia possit id amplecti, vel non amplecti. Requiritur 2) absentia *impedimentorum*, seu eorum, quæ cum definito libertatis extremo necessario connexa sunt, neque possunt à potentia tolli, aut impediri vi eorum, quæ ceteroquin ipsi ad agendum necessaria sunt, ejusdemque actum primum proximum consti-

tuunt. e. g. Qui arcte catenis ad columnam adstrictus est, habet impedimentum, quo à cursu prohibeatur; arcta enim colligatio hæc cum omissione cursus necessario connectitur, neque potest ab homine illo tolli vi eorum, quibus ad currendum necessariis ceteroquin instructus est, ut sunt integri, celeresque pedes, valetudo firma &c. Quare colligationis hujus absentia actum primum proximum libere currendi, vel non currendi ingreditur. At si quidpiam connexum quidem sit cum uno libertatis extremo, sed tamen vi eorum, quæ ceteroquin actum primum proximum agendi constituunt, tolli, aut impediri possit; ejus absentia actum primum proximum libertatis nequaquam ingreditur. Eo enim casu, modo cetera illa adsint, in potestate agentis est, hoc aut illud libertatis extremum amplecti, ut clarum est. Sic tametsi sessio nonnisi cum omissione cursus componi possit, non item cum cursu; ejus tamen *absentia* non constituit actum primum proximum libere currendi, vel non currendi: sessio enim tolli, vel impediri potest ab homine vi eorum, quibus ad currendum requisitis, ceteroquin est instructus. 3) Adesse quoque debet præsentia auxiliorum voluntati necessariorum, & concursus Divinus, de quo in Theol. nat. Atque hæc ad quemlibet libertatis indifferentiæ actum primum proximum generatim requiruntur: quæ præterea in singularibus casibus adesse debeant, ex ipsa actionis exercendæ natura, singularibusque rerum adjunctis metiendum erit.

Coroll. 4. Quoniam actus primus proximus ea continet, quæ ad agendum necessaria sunt, is actione causæ *natura* prior sit, oportet (92. cor. 2. & 93.)

291 Jam animam humanam gaudere libertate *à coactione*, ipse intimus sensus docet. Eo enim teste bonum nostrum sponte & non inviti diligimus: & pariter, quod nobis videtur malum, nemine cogente ultro aversamur. Imo voluntatem humanam in omnibus omnino volitionibus, nolitionibusque suis liberam esse libertate *à coactione*, ambigere non possumus. Quotiescunque enim volumus aliquid, id secundum præsentem voluntatis nostre propensionem accidere, idem sensus intimus testatur; ita ut etiam tum, quum aliquid *inviti* agere dicimur, id agamus, quod nobis in præsentia lubet, tametsi idem in allis rerum adjunctis nobis non luberet. Certe cum Mercator fluctibus maris in vitæ periculum adductus, interitum evitandi gratia merces in mare projicit; id ille in his quidem rerum adjunctis secundum præsentem voluntatis suæ propensionem agit, vitam mercibus præferens, utut in alio rerum statu hanc voluntatis suæ propensionem habiturus non esset. Quod autem ad libertatem indifferentiæ, quæ sola est *proprie* libertas, attinet; sit.

292 PROPOSITIO. Anima nostra gaudet libertate à *necessitate*, seu libertate *indifferentiæ*. *Prob.* 1.mo Ipse intimus sensus, modo ad eum rite nos reflectamus, attestatur, posse nos è duabus rebus menti propositis istam præ illa, aut illam præ ista pro arbitratu eligere, amplectique. e. g. Quis nostrum dubitare potest, liberum sibi fuisse, ut huc inferat pedem, aut non inferat? Sunt quidem, qui hoc intimi sensus testimonium negent, veramque libertatem homini ademptam velint; ut nimirum scelerum suorum turpitudinem hoc velamine tegant, quasi nullæ ipsorum actiones ab arbitrio libero, sed omnes à

necessitate quadam proficiscantur: át ii ipsi perniciosum hunc errorem suum quotidianis suis actionibus aperte refutant. Si enim non sentiunt, se in potestate habere actiones suas, cur studiose cavent, ne quid committant, unde vitæ, nominis, aut fortunarum suarum jacturam patiantur? Nonne inanis, risuque digna est omnis cura, solicitudoque nostra, ne hoc, aut illud committamus, si in omnes actiones nostras ineluctabilis quædam necessitas dominatur?

293 *Prob.* 2.*do* "Sublata libertate indifferentiæ omnis vita humana subvertitur (verba sunt S. Augustini *l.* 5. *de civ. Dei c.* 5.) frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ulla justitia bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt." Nam imprimis an non summa esset dementia, cuipiam præcepta dare, si liberum ei non sit, id, quod præcipitur, facere? item eum laude, aut vituperio dignum existimare, cujus actiones omnes fatali quadam necessitate ita se se consequantur, ut à libero ejusdem imperio non dependeant? Deinde an non extrema iniquitas esset, acerbissimis quempiam pœnis subjicere, quod non paruerit jussis, quibus parendi potestate destitutus fuit?

294 Porro pro libertatis humanæ natura rectius intelligenda, notandum est I. Si ens habitis omnibus ad agendum requisitis, seu completo toto actu primo proximo, nequeat omittere quampiam actionem A; hæc actio nequit esse libera, nisi forte ens illud ad complendum dictum actum primum proximum aliqua prævia actione sua libera B concurrat: quod quidem si fiat; id genus actio A nonnisi *mediate* libera dici potest, scilicet mediante prævia illa libera actione B. Quare, ut actio quæpiam A *immediate* libera sit, ejusmodi actum primum proximum habeat, oportet, qui sit indifferens ad utrumque libertatis extremum.

295 II. Actus à voluntate pendentes alii dicuntur eliciti, imperati alii. Actus *eliciti* vocantur, qui immediate à voluntate tanquam activo suo principio proficiscuntur, suntque solæ volitiones, & nolitiones: actus vero *imperati* sunt, qui ab aliis facultatibus, sed tamen ad nutum, &, ut ajunt, *imperium* voluntatis efficiuntur; e. gr. *deambulatio*, *locutio* &c. Jam actum primum proximum actus imperati ingreditur etiam imperium voluntatis, utpote à quo is pendet: posito autem imperio voluntatis, ceterisque actus primi proximi constitutivis, necesse est etiam poni actum imperatum. Itaque actus imperatus non est *immediate* liber, sed *immediate* necessarius. Quodsi tamen actus imperatus libero voluntatis imperio subsit, id est, si illud voluntatis imperium, quod ejus actum primum proximum ingreditur, voluntati liberum sit; id genus actus imperatus est *mediate* liber, mediante scilicet libero illo voluntatis imperio: quamobrem etiam laude vel vituperio, præmio vel pœna dignus esse potest.

296 III. Non recte sentiunt de libertate humana, qui eam his, aut æquivalentibus verbis rite exprimi contendunt: *Liber sum, quia id ago, quod volo, & quia istud non agerem, si non vellem.* Hi enim veram indifferentiæ libertatem, qua gaudemus, cum spontaneitate, seu cum libertate *à sola coactione* confundunt. Certe, quoniam bonum infinitum clare, intuitiveque cognitum necessario rapit voluntatem in sui amorem, uti videbimus inferius, Beati in cœlo, utut sponte, libentissimeque Deum

ament, eum tamen non libere, sed necessario amant: & tamen verum est 1) eos *agere, quod volunt*; 2) quod non amarent Deum, *si non vellent*; quatenus impossibile est *amare Deum*, & tamen simul *non velle* amare. Nempe perniciosa æquivocatio subesse potest his verbis: *si non vellem.* Hæc enim enunciatio: *non agerem, si non vellem*, potest imprimis tantundem significare, ac: *ejusmodi actio est, quam exerceo, ut ea cum propensione voluntatis debeat exerceri, quandocunque exercetur*: atque hoc quidem sensu mens etiam pure spontaneam actionem absque ulla libertate indifferentiæ exercens *non ageret, si non vellet.* Deinde eadem enunciatio potest etiam idem significare, ac: *non agerem, nisi me ipse ad agendum determinarem libere vera libertate indifferentiæ*: atque hic quidem sensus veram libertatem nostram continet. At subdoli illi homines priorem illum sensum ambiguis suis verbis subesse volunt, incautosque æquivocatione qua in gravissimum errorem facile impellunt. Ex quibus patet, veræ libertati perquam inimicam esse Voltairii doctrinam *Disc. de Libert. Hum.* sic generatim pronunciantis: "qui percipit, vult, agit, liber est."

297 IV. Neque potest sustineri opinio Leibnitzianorum, veram libertatem in eo reponentium, quod causa intellectu prædita ex pluribus possibilibus sponte eligat id, quod optimum esse judicat. Si enim nihil possum eligere, nisi quod optimum esse censeo, nunquam habeo actum primum proximum, qui sit indifferens ad utrumque libertatis extremum, quod sic declaro: motiva, quæ me impellunt ad ponendam actionem A, ingrediuntur actum primum proximum ejusdem actionis, ut clarum est: jam motiva hæc vel adparent mihi esse majora, quam quæ pro eadem actione omittenda pugnant, vel non? Si primum: necessario connexa sunt cum positione actionis illius; quia juxta Leibnitzianos motiva illa eo casu sunt ratio sufficiens actionis A, posita autem ratione sufficiente, id quoque poni necesse est, cujus est ratio sufficiens. Si alterum: eadem motiva simpliciter nequeunt componi cum dicta actione: quia secus actio illa poneretur, ut Leibnitziani quidem volunt, sine ratione sufficiente; quod tamen fieri nequit (12).

298 Pervident hæc doctrinæ suæ consectaria Leibnitziani: hinc plurimi eorum libertatem in prævia quadam deliberatione, seu, ut loqui solent, *consultatione* constituunt. Nempe dum e. gr. pro duabus contrariis actionibus æqualia momenta pugnant; tametsi ponatur voluntas neutram amplecti posse ob defectum rationis sufficientis, sua tamen, inquiunt, ipsi stabit libertas: quatenus in ejus potestate est, rationem in consilium adhibere, motiva suis librare ponderibus, ab iisdem mentem avocare, aut nova conquirere incitamenta, ac eam demum partem amplecti, pro qua major ratio pugnaverit. At istud quidem inutile effugium est. Nam juxta doctrinam hanc actiones nostræ, liberæ esse deberent *mediante* dicta consultatione; ergo si consultatio hæc nequit ullo modo esse libera voluntati, neque actio ab ea dependens potest haberi pro libera: atqui dicta consultatio nequit esse libera, stante Leibnitzianorum doctrina. Vel enim incidunt menti majora momenta pro instituenda id genus consultatione, quam pro ea omittenda, vel non? Si primum: voluntas necessario suscipit eam consultationem; habet enim tunc (juxta generalem Leibnitzianorum doctrinam) sufficientem pro ea suscipienda ra-

tionem. Sin alterum: eandem consultationem necessario omittit ob defectum sufficientis pro ea suscipienda rationis.

299 Demum de ipsis objectis voluntatis hæc attulisse juverit. I. Cum nihil adpetamus, nisi sub ratione boni, nihil aversemur, nisi sub ratione mali (281); voluntas bonum ut bonum nolle, malum ut malum velle non potest.

Coroll. 1. Mirum ergo non est, quod veram felicitatem nostram, generatim animo repræsentatam nolle nequeamus; cum in ejus notione ratio mali neutiquam repræsentetur.

Coroll. 2. Itaque aliud est id, quod reapse bonum est, nolle, quod in eo mens quandam mali rationem sibi repræsentet; aliud, bonum, qua bonum, id est ob ipsam ejusdem bonitatem rejicere.

300 II. Voluntas nullum bonum finitum vult necessario, seu ita, ut illud nolle nequeat. Nam quodlibet finitum bonum imperfectione mistum est; carere enim quam plurimis perfectionibus (quod tamen in ipsa *finiti* notione includi patet ex nu. 78.) magna sane imperfectio est: ergo in quolibet finito bono potest non volitionis modo, sed nolitionis etiam motivum reperiri (287. *cor.* 2.): eo ipso autem voluntas illud nolle potest, ut obviis etiam exemplis declarari potest. Sic quis est, qui pulcherrimas scientias æstimatione dignissimas esse non videat? quia tamen sine labore comparari non possunt, quot sunt, qui easdem negligant, sibique potius in summa rerum ignoratione permanendum putent?

301 III. Voluntas bonum infinitum clara intuitione cognitum necessario amat. Constat enim eo magis inclinari nos ad amplectendum quidpiam, quo illud majori bonitate præditum esse cognoscimus: quodsi ergo bonum infinitum intuitiva cognitione clare cognoscat humana mens; in illud voluntas ipsius summa quadam vi, quin se se cohibere possit, rapiatur, oportet.

302 IV. Quodsi tamen bonum infinitum nonnisi *abstracte*, obscureque cognoscatur, uti à nobis in hac miseriarum valle degentibus cognosci solet; non modo non amari, sed etiam odio haberi potest. Cum enim ejus actiones; e. g. de sceleribus vindictam sumentis, aut fluxa hujus mundi bona non omnibus æqualiter dispensantis &c. ob oculos ponit impius, neque videt, has ipsas actiones summo quodam, adorandoque consilio niti; bonum infinitum sub ratione *mali sui* attingit, excæcataque ipsius voluntas in ipso bonitatis omnis fonte quoddam aversandi motivum, & objectum deprehendit.

303 V. Jus voluntatis liberæ in alias potentias nostras varie limitatum est. Nam 1.*mo* Sensus externi, e. g. oculi solum *indirecte* subsunt imperio ejusdem; quatenus nempe ad nutum voluntatis possunt ad objecta videnda converti, aut ab iisdem averti: quodsi autem oculi cuipiam objecto rite adpliciti sint, voluntate frustra reluctante visionem peragi est necesse. Idem est de auditu, tactu &c. 2.*do* Ne adpetitiones, aversationesque enascantur in nobis, voluntas directe impedire non potest; cum illæ perceptionem boni, hæ vero perceptionem mali natura sua consequantur (280): potest tamen easdem sæpius impedire *indirecte*, cavendo, ne ejusmodi objecta menti objiciantur, quibus perceptis id genus adfectiones in nobis enasci esset necesse: variis deinde modis exortas illas reprimere potest: velle denique, aut nolle easdem, ut ex hacte-

nus dictis patet, voluntati omnino liberum est. Unde patet, quis sensus subsit veteri illi de pravis propensionibus adagio: *Non nocet sensus, si non adsit consensus.* 3.*tio* Vis movendi membra nostra voluntati, ut ajunt, *despotice* subjecta est. "Imperat animus, ut moveatur manus, inquit S. August. & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatum imperium."

§. III.

Solvuntur objectiones, quibus humanæ mentis libertas indifferentiæ impugnari solet.

304 *Objic.* 1.*mo* Sensus intimus, dum libertatem testari videtur, nos fallere potest; ergo testimonio quidem sensus intimi libertas indifferentiæ comprobari non potest. *Prob. ant.* Non deerant, qui existimarent, sensus intimi testimonio constare, animam hominis diffusam esse per totam corporis machinam, quos tamen à vero aberrasse, hodie non dubitamus: idem ergo nobis quoque evenire potest, si libertatem indifferentiæ attestante conscientia nobis inesse arbitremur.

℞. *N. ant.* Ad prob. *C. ant. N. cons.* Dispar ratio est. Nam quod ad positum exemplum attinet: id solum genuino sensus intimi testimonio compertum nobis est, sensationes in nobis exoriri, si organa sensuum pervellantur: quotsi autem in eo ipso organo, quod pervellitur, arbitremur sensationem peragi, ac proinde animam ipsam illic præsentem adesse; is error noster est, quem ignoratione eorum, quæ n. 227. & 229. dicta sunt, intimo sensui male adfingimus. Contra, quis est, qui non videat, sibi, cum e. gr. animi relaxandi gratia quoquam vadit, liberum esse, ut ad hanc, aut illam partem de via deflectat, hac, aut illa sub arbore conquiescat &c: Profecto si eam perspicuitatem, quam de libertate id genus actionum nostrarum à conscientia habemus, putemus repudiandam; nulli unquam perspicuitati nostræ quidquam deferamus, est necesse. Adde: ii ipsi, qui hoc intimi sensus testimonium impugnant, errorem suum quotidianis suis actionibus refutant, uti n. 292. ostendimus.

Urgeb. Ponamus nos sola libertate à coactione gaudere: idem erit sensus intimus in nobis de nostris volitionibus, nolitionibusque, qui nunc est: ergo testimonium sensus intimi non evincit in nobis libertatem indifferentiæ. *Prob. ant.* Sensus intimus, qui nunc in nobis pro libertate indifferentiæ stare videtur, in eo consistit, quod conscii nobis simus, id nos agere, quod volumus: atqui, etiamsi ponamus nos sola libertate à coactione gaudere, conscii nobis erimus id nos agere, quod volumus; ergo si ponamus, nos sola libertate à coactione gaudere, idem erit sensus &c.

℞. *N. ant.* Ad prob. *D. maj.* In eo consistit, quod *quomodocunque* conscii nobis simus, id nos agere, quod volumus *N. maj.* quod conscii nobis simus, ita nos agere id, quod volumus, ut eodem tempore, & in iisdem rerum adjunctis volitionis loco etiam nolitionem pro arbitrio elicere possimus *C. maj. D.* etiam *min.* Atqui, etiamsi ponamus nos sola libertate à coactione gaudere, conscii nobis erimus, ita nos agere id, quod volumus, ut eodem tempore, & in iisdem rerum adjunctis volitionis loco etiam nolitionem pro arbitrio elicere possimus *N. min.* Conscii nobis erimus id nos agere, quod volumus, hoc sensu, quod secundum propensionem voluntatis aga-

tis. Recte tamen occiditur noxia bestia, ne hominibus noceat, utiliter quoque verberatur in flagranti, si actionem nobis displicentem exerceat; at hoc duntaxat fine, ut deinceps phantasiæ ope ab ejusmodi actione impediatur, aut etiam ad contrariam actionem determinetur. Ex adverso hominibus non eo solum fine conferuntur præmia, aut infliguntur pœnæ, ut motiones in cerebro, ac ideæ in animo excitentur, quæ eos deinceps ad hoc vel illud agendum determinent, sed etiam ob actus præteritos, ut justitia stricte remunerativa, aut vindicativa exerceatur. Quodsi ergo ponamur libertate carere; alia erit conditio in vita civili præmiorum, pœnarumque, ac nunc sit.

Urgeb. 2. Amor ille, quo Cœlites in Deum feruntur, utut sit necesssarius, est tamen laude dignus: ergo nostræ quoque actiones possent esse laude, vel vituperio dignæ, tametsi sola libertate à coactione gauderemus.

℞. *D. ant.* Est laude dignus ratione *objecti C. ant.* ratione *meriti. N. ant.* & similiter *D. cons.* Amor ille honestus omnino, laudeque dignus est ratione objecti; non tamen ratione meriti, quasi eo Cœlites laudem tanquam præmium sibi mererentur: quis enim actionem necessariam ratione meriti laudet? Unde etiam Cœlites eo suo in Deum amore nihil amplius mereri possunt. Itaque de nostris quoque actionibus eodem modo sentiendum esset, si libertate indifferentiæ destitueremur: nihil nobis laudi, nihil vitio verti posset; nullus unquam in prudentiæ leges peccare posset &c.

306 *Obj.* 3.*tio* Voluntas humana nihil potest velle, nisi sub ratione boni, nihil nolle, nisi sub ratione mali; ergo natura sua in quibuslibet rerum adjunctis determinatur ad definitum libertatis extremum. Eo ipso autem libertate indifferentiæ caret. *Confirm.* Teste D. August. *Epist.* 217 alias 107. liberum arbitrium primi peccati granditate perdidimus.

℞. *C. ant. N. cons.* Positum argumentum evincit quidem, non posse nos bonum ut bonum aspernari, malum autem ut malum amplecti; libertatem tamen indifferentiæ non evertit. Si enim finitum quoddam bonum sub ratione boni percipiamus; sentiemus quidem inclinari voluntatem nostram ad illud amplectendum, non tamen ita, ut ante ultimam ejusdem determinationem nullus deliberationi, examinandoque bono illi relinquatur locus: quodsi autem finitum bonum dispiciat mens nostra; in eo non volitionis modo, sed nolitionis etiam motivum, & objectum deprehendet (300). Idem est de bono infinito, abstracte cognito (302).

Ad Confirm. ℞. Proto-parentes nostri ea libertate gaudebant in Paradiso, cui summa quædam bene agendi facilitas adnexa erat; peculiari enim, & communes naturæ leges exuperante Dei beneficio, adpetitus sensitivus, seu ut dici amat, *concupiscentia* in iis imperium voluntatis prævertere non poterat. Quo quidem beneficio & se ipsos, & nos etiam peccato suo infeliciter privarunt; ita ut adpetitiones rerum etiam vetitarum, si hæ sensibus arrideant, item aversationes rerum etiam præceptarum, si sensibus adversentur, citra voluntatis imperium in nobis enascantur. Unde oritur quidem peccandi facillitas, & bene operandi difficultas; non tamen tanta, quæ cum ineluctabili quadam necessitate conjuncta sit. Quare granditate primi peccati quandam *appendicem* liberi arbitrii perdi-

mus, quin tamen eam propensionem in nostra potestate esse sentiamus *C. min.* & *N. cons.* Eo casu, quo sola libertate à coactione gauderemus, conscii quidem essemus nobis, hos agere secundum propensionem voluntatis nostræ; at non essemus simul conscii nobis, eam voluntatis nostræ propensionem in nostra esse potestate: fere quemadmodum nunc veram felicitatem nostram, generatim animo repræsentatam conscii nobis sumus nos sponte velle; non sumus tamen conscii eam nos ita velle, ut etiam nolle pro arbitrio possimus. Ex adverso nunc conscius sane mihi sum, ita me velle e. g. manum movere, ut eodem tempore, & in iisdem rerum adjunctis etiam nolle potuerim.

305 *Obj. 2.do* Tametsi solam à coactione libertatem haberemus; adhuc tamen locum haberent in vita civili præcepta, objurgationes, præmia, pœnæ. Ponamus enim sufficientem rationem volitionis nostræ contineri in repræsentatione boni; nolitionis autem in repræsentatione mali. Præcepta, adhortationes, & præmia proposita efficere poterunt, ut id, quod nobis suadetur, injungiturque, mens nostra repræsentet sub ratione boni amplectendi; pœnæ vero efficere poterunt, ut id, quod prohibetur, utpote pœnam sibi adnexam habens, sub ratione mali fugiendi proponatur nobis: ergo & præcepta, adhortationes, præmiaque apta erunt ad hoc, ut nos ad bene agendum impellant, & etiam pœnæ ad hoc, ut nos à committendo malo deterreant. Hinc saltem altera Propositionis probatio (293) vim non habet.

℞. In adsumpta hypothesi longe alia esset præceptorum, adhortationum &c. conditio, atque nunc sit. Tunc enim quodvis præceptum, adhortatioque voluntati nostræ inevitabilem obsequendi necessitatem imponeret: nunc autem ea præcepta, & adhortationes cum fructu adhiberi solent, quibus non adimi libertatem & intimus sensus, & etiam communis hominum consensio aperte testatur. Quoties enim fit, ut homines aliorum adhortationibus excitati, ad ardua quæque, contempto etiam manifesto vitæ periculo, amplectenda post longam cum naturali sua in contrariam partem inclinatione luctam se se tandem resolvant? quis autem, nisi contra rationis naturaliter sibi inditæ ductum sentiat, existimet, ejusmodi homines fatali necessitate induci ad suscipienda id genus consilia, quin naturali suæ in partem contrariam inclinationi in iis rerum adjunctis obsequi ullo modo possint? Præterea in adsumpta hypothesi nemini posset prudenter decerni præmium, vel pœna ob actus duntaxat præteritos; hoc est, justitia *remunerativa*, & *vindicativa*, contra communem omnium nationum consensum, in vita civili locum habere prorsus non deberet. Quis enim prudenter præmiet, aut sine magna iniquitate puniat ejusmodi actiones, quæ necessario, inevitabiliterque ponuntur?

Urgeb. 1. Bruta, tametsi libertate careant, plectuntur tamen, si exerrent, verberibusque sæpius in officio continentur: ergo idem sentiendum de hominibus, tametsi libertate carere ponamur.

℞. Bruta proprie non puniuntur: pœna enim ex ipsa sui notione, & universali hominum opinione ob ejusmodi duntaxat actionem infligitur, quæ agenti in genere morum ut *demeritum* imputari queat: cujusmodi actio talis sit, oportet, ut & illa, & ejus omissio sit in potestate agen-

dimus, non *essentiam*. Hanc fuisse mentem S. Doctoris, tum ex illis ipsius verbis patet, quæ n. 291 retulimus, tum ex iis libris, in quibus liberum hominis arbitrium contra Heterodoxos acerrime propugnat.

307 *Obj. 4.to* E duobus objectis menti propositis semper id duntaxat potest amplecti voluntas, quod sub ratione majoris boni repræsentatur ab intellectu; ergo ea est voluntatis ab intellectu dependentia, quæ cum libertate indifferentiæ cohærere non possit. *Prob. ant.* Non potest voluntas è duobus objectis, quæ ipsi æque bona videntur, alterum præ altero, aut ex inæqualibus bonis minus bonum præ majori bono amplecti; ergo è duobus objectis &c. *Prob. ant.* Nihil potest amplecti voluntas sine ratione sufficiente: atqui, si è duobus æqualibus bonis alterum præ altero, aut minus bonum præ majori bono amplecteretur, id faceret absque ratione sufficiente; ergo non potest voluntas è duobus objectis &c.

℞. *N. ant.* Ad prob. *N.* rursus *ant.* Ad hujus prob. *D. maj.* Nihil potest amplecti voluntas sine ratione sufficiente, quæ in sola motivi firmitate consistat, ac proinde voluntati extranea sit *N. maj.* quæ habito motivo in ipso voluntatis arbitrio sita, eidemque interna sit *C. maj.* sic *dist. min. N. cons.*

Sine omni motivo voluntas quidpiam amplecti omnino non potest; at si motiva opposita ipsi proponantur, non ita in eam dominatur ratio sufficiens externa, ut bilancis instar nonnisi in eam partem inflecti possit, in quam firmioris motivi pondere impellatur. Certe si cui proponantur duo numi aurei, prorsus simillimi, quorum unum, si velit, tollere possit; risu dignus censebitur, si dicat: non esse in sua potestate electionem, quod pro uno majus motivum non habeat, ac pro altero, ac proinde, ut ab utroque se se abstineat, sibi necessarium esse. Falsum igitur est, è duobus æqualibus bonis alterum præ altero eligi non posse. At neque id verum est, nos ita esse natura comparatos, ut minus bonum præ majori bono nequeamus amplecti. Quis enim, nisi temere, negare potest, in sua esse potestate, ut è duobus e. g. equis sibi oblatis eum, qui deterior est, eligat, tametsi electionem hanc sibi damnosam, vitioque vertendam videat? Sæpe ergo juxta tritum adagium stat nobis pro ratione voluntas.

Urg. 1. Sufficiens illa volitionis ratio, quæ nobis interna esset, vel consisteret in ipsa volendi potentia, prout hæc in actu primo proximo consideratur, vel consisteret in eadem volendi potentia, jam in ipso actu secundo, seu in actuali exercitio considerata: atqui neutrum dici potest; ergo si voluntas è duobus bonis æqualibus alterum præ altero, aut minus bonum præ majori bono amplecteretur, id ea faceret absque ratione sufficiente, etiam interna sibi. *Prob. min.* Primum dici non posse inde patet, quia secus, quoniam posita ratione sufficiente ponitur id quoque, cujus est ratio sufficiens, posito solo primo actu proximo volendi determinate volitionem poni necesse esset: cum tamen voluntas nequeat esse libera libertate indifferentiæ, nisi totus actus primus proximus ipsius sit indifferens ad volitionem, vel ejusdem omissionem. Atqui neque potest dici alterum, quod *probo.* Ratio sufficiens universe est natura prior eo, cujus est ratio sufficiens: atqui voluntas in actu secundo suæ volitionis considerata nequit esset natura prior ipsa volitione; ergo sufficiens illa volitionis ra-

tio, quæ nobis interna esset, non posset consistere in volendi potentia, in actu secundo suæ volitionis considerata.

℞. Ratio sufficiens, cur volitio *libera* existat neque consistit in solo actu primo proximo, uti rite probatum est, neque in solo actu secundo; sed in utroque simul. Nempe si intelligam imprimis, totum voluntatis actum primum proximum esse indifferentem tam ad volitionem, quam etiam nolitionem; intelligo voluntatem esse potentiam liberam, quæ pro arbitrio immediate elicere possit sive volitionem, sive nolitionem: quodsi ergo præterea intelligam ab ea elici volitionem præ nolitione; intelligo existere volitionem, eamque liberam. Recole etiam verba Ciceronis, quæ n. 14 in Scholio retulimus.

Ad ultim. prob. ajo, discrimen esse faciendum inter duas has enunciationes: *nihil est sine ratione sufficiente, qua intellecta intelligatur ipsum esse potius, quam non esse*, &: *nihil est sine ratione sufficiente sibi externa, quæ sit ipso natura prior.* Prioris enunciationis veritatem demonstravimus generatim nu. 12. & ea locum habet etiam in volitionibus liberis, uti paulo superius declaravimus: at enunciationem alteram non esse universe veram, facile ostendi potest. Nam e. g. quod Deus plene sibi sufficiat ad existendum, utique non est sine ratione sufficiente; quis tamen propterea dicat, rationem hanc sufficientem in Deo natura priorem esse debere plena ad existendum sufficientia?

Urg. 2 Si volitiones nostræ carerent ratione sufficiente, voluntati externa; tunc quærenti, cur hoc, vel illud velis? respondere cogereris: *volo, quia volo*: atqui hujusmodi responsio videtur esse ridicula: qui enim ait, *volo, quia volo*, idem per idem resolvit; nisi forte per verba *quia volo* intelligat præviam volitionis volitionem, quod absurdum sane est, processumque in infinitum in volitionibus inducit.

℞. *D. maj.* Respondere cogereris: *volo, quia volo*, per verba: *quia volo*, non plus designando, quam quod volitionem eliciam *N. maj.* per verba: *quia volo*, indicando, sufficientem volitionis rationem non consistere in repræsentatione boni, sed in voluntate, postquam ejus totus actus primus proximus completus est, libere volitionem pro nolitione eligente *C. maj.* sic *dist. min. N. cons.* Ceterum quamvis certum sit, ad hoc, ut voluntas libere se se determinet ad volitionem præ nolitione, non esse necessariam præviam volitionis volitionem, cum secus progressus in infinitum admittendus esset in volitionibus; nihilominus quid sit libere se se ad volendum determinare, melius sensu intimo percipimus, quam verbis explicare valeamus. Sufficiat Adversariis, hanc in anima nostra potestatem, scilicet sine externa sibi ratione sufficiente se se ad volendum vel nolendum determinandi, invictis argumentis à nobis evinci.

Urg. 3. Voluntas semper id eligit, quod ipsi magis placet; ergo semper externa sibi ratione sufficiente determinatur ad quidpiam volendum.

℞. *D. ant.* Voluntas &c. Hoc est, semper id eligit, ad quod amplectendum mavult se se determinare *C. ant.* Hoc est, semper id eligit, quod ipsi sub ratione majoris boni proponit intellectus *N. ant.* & *cons.* Verbum *placet* dupliciter sumi potest: primo pro inclinatione voluntatis necessaria, quæ repræsentationem boni in nobis necessario consequitur, soletque *adpetitus* nominari;

deinde sumi potest pro ultima voluntatis determinatione. Jam si voluntas semper id eligeret, quod ipsi magis placet, τὸ *placet* priore sensu accipiendo; triumpharent omnino Leibnitziani: at voluntas eatenus duntaxat eligit semper id, quod ipsi magis placet, quatenus semper id eligit, ad quod eligendum mavult se determinare; id quod cum libertate indifferentiæ bene utique cohæret.

Obj. 5.*to* Deus omnes nostras futuras actiones ex omni æternitate prævidit: cum ergo Divina scientia falli non possit, omnes illæ necessario ea serie evenient, qua easdem eventuras Deus prævidit: sed eo ipso actiones nostræ liberæ non sunt; ergo actiones nostræ omnino liberæ non sunt.

℟. *C. ant. D. cons.* Ergo illæ omnes necessario ea serie evenient &c. necessitate partim antecedente, partim consequente nostram ad agendum determinationem *C. cons.* necessitate simpliciter antecedente omnem nostram ad agendum determinationem *N. cons. D.* etiam *subs. min.* Sed eo ipso omnes nostræ actiones liberæ non sunt *C. subs. min.* nulla nostra actio est libera *N. subs. min. & alt. cons.*

Tunc ponitur actio necessitate nostram ad agendum determinationem *antecedente*, quando actus primus proximus potentiæ non est indifferens ad actionem, vel ejusdem omissionem, sed necessario cum actione est connexus; cum enim actus primus proximus saltem natura prior sit nostra ad agendum determinatione (289. *cor.* 4); etiam necessitas illa, quam iste sibi connexam habet, nostram ad agendum determinationem *antecedat*, oportet. Atque hujusmodi necessitas libertatem actionis omnino evertit (290. *cor.* 2.). Ea porro necessitas est nostram ad agendum determinationem *consequens* quæ hanc præteritam, præsentem, aut futuram *supponit*, hacque posita deducitur: quæ enim necessitas è nostra ad agendum determinatione profluit; hanc natura *consequatur*, est necesse. Tali necessitate sedet, quem sedentem video, vel sedebit, quem sedentem reapse videbo. Necessitas hæc non officit libertati: secus enim sequeretur, ad libertatem requiri potentiam dictæ necessitati oppositam, vi cujus omitti possit actio, etiam posito, quod illa exerceatur: quod tamen absurdum est. Jam vero actiones nostræ, quæ à voluntate procedunt, ex eo, quod à Deo prævideantur, non alia necessitate evenient necessario, quam consequente. Sic enim ratiocinari licet: scientia Dei e. g. de futuro Petri peccato supponit futuram in Petro sui ad peccandum determinationem; non enim ideo peccabit Petrus, quia Deus prævidet eum peccaturum, sed è contrario ideo Deus prævidet peccaturum Petrum, quia ille se ad peccandum determinabit: ergo etiam necessitas omnis, quæ ex illa Dei scientia eruitur, supponit futuram in Petro sui ad peccandum determinationem; ac proinde *consequens est.*

Coroll. 1. Potentia *antecedens* illa dicitur, quæ opponitur necessitati antecedenti. Si ergo actus primus proximus agendi tam cum actione, quam etiam cum actionis omissione componi possit, jam adest potentia *antecedens*: potentia vero *consequens* tunc adesset, si posito, quod agens se se ad agendum determinet, simul ommittere posset actionem; vel, si posito, quod omittat actionem, simul eandem exerceret.

Coroll. 2. Igitur potentia consequens ad veram libertatem requiri non potest: sufficit antecedens.

Obj. 1. Libeat futurum Antichristi

peccatum nominatim adsumere. Eo ipso, quod Deus ex omni æternitate præviderit Antichristum peccaturum, iste suo tempore carebit tali actu primo proximo, qui sit ad utrumque libertatis extremum indifferens; ergo carebit potentia antecedente peccatum omittendi: id est, necessitate antecedente peccabit. *Prob. ant.* Qui ab equo, cui alligatus est, raptatur, non habet ejusmodi actum primum proximum, qui sit tam ad motum, quam ad quietem indifferens; ergo etiam. *Prob. cons.* Ideo primum, quia homini illi adest aliquid, quod cum quiete componi non potest, nimirum cursus equi, à quo raptatur: atqui Antichristo quoque aderit quidpiam, quod cum omissione peccati componi non poterit, nempe scientia Dei de futuro ipsius peccato.

℞. *N. ant.* Ad prob. *C. ant. N. cons.* Ad hujus prob. *D. maj.* Ideo duntaxat primum, quia homini illi &c. *N. maj.* ideo simul, quia raptatio illa ab homine, qui equo insidet, vi eorum, quæ ceteroquin ejus actum primum proximum se se ad motum vel quietem determinandi ingrediuntur, tolli non potest *C. maj. D.* etiam *min.* Atqui Antichristo quoque &c. is tamen vi eorum, quibus ceteroquin ad peccandum, vel ommittendum peccatum necessariis instruetur, impedire poterit, ne hæc de futuro ipsius peccato scientia in Deo unquam exstiterit *C. min.* secus *N. min.* & *cons.*

Dicta raptatio est definite cum motu connexa, neque potest impediri, vel tolli ab homine equo insidente vi eorum, quibus ad motum vel quietem ceteroquin necessariis gaudet tunc, dum equo insidet; igitur absentia raptationis ingredi deberet ejus actum primum proximum se se ad motum vel quietem libere determinandi (290. *cor.* 3.). Non habet ergo plenum actum primum proximum ad utrumlibet extremum libertatis indifferentem: motus adeo necessarius illi est. Contra in Antichristo omnia erunt indifferentia ad ponendum, vel omittendum peccatum præter scientiam Divinam de futuro ipsius peccato; ita, ut si hujus scientiæ absentia non debeat ingredi actum primum proximum libere peccandi, omnino sit habiturus plenum actum primum proximum ad utrumlibet extremum libertatis indifferentem: habebit enim cogitationem indifferentem, qua ipsi peccatum partim sub specie boni sensibilis, partim sub specie mali vetiti proponatur; auxilia Divinæ gratiæ, quibus utendo bene agere, abutendo peccare possit &c. Atqui absentia Divinæ scientiæ de futuro peccato prorsus non ingreditur dictum actum primum proximum, quod sic declaro: non ideo quis aget bene, aut male, quod Deus prævideat ipsum bene, aut male acturum, sed potius ideo Deus prævidet quempiam bene, aut male acturum, quod is se se ad bene, vel male agendum sit determinaturus; igitur ut de futura nostra actione hæc, aut illa scientia insit in Deo, id à futura nostra ad agendum determinatione pendet. Cum ergo cetera omnia, quæ ad agendum necessaria Antichristo aderunt, tam ad peccatum, quam ejusdem omissionem indifferentia futura sint; vi eorundem posset Antichristus, nisi libertate abuti mallet, *directe* omittere peccatum, & Divinam de futuro peccato suo scientiam *indirecte* impedire. Eo ipso autem absentia dictæ scientiæ Divinæ actum primum proximum libertatis ingredi non debet (290. *cor.* 3.)

Urg. 2. Etiam dicta raptatio potest pendere ab actione illius hominis, qui invitus ab equo raptari ponitur; quatenus liberum illi erat

conscendere ejusmodi equum, à quo se se vel invitum raptandum prævidit; nihilominus tamen motus illi non est liber, postquam equum conscendit: ergo etiam tametsi dicta Dei scientia pendeat à futura Antichristi actione, hæc tamen actio non erit Antichristo libera, cum scientia illa in Deo ex omni æternitate stet.

℞. *D. ant.* Potest pendere ab ea hominis illius actione, quam exercet tunc, dum equo insidet. *N. ant.* ab alia actione prævia, de cujus libertate vel necessitate hic non agimus *C. ant.* & *N. cons.* Conscenso equo nullam actionem potest exercere homo ille, qua possit impediri, vel tolli raptatio, cum ponatur vel invitus raptari: non est ergo mirum; quod illi motus sit necessarius. Contra scientia Dei de futuro Antichristi peccato ab ea ipsa hujus actione pendet, quam hic suo tempore exerciturus est: ergo dicta scientia ejusdem actionis libertatem evertere non potest. Ceterum in posito casu motus esset liber *indirecte* homini illi, qui ejusmodi equum ultro conscenderet, tametsi ob rationem datam *directe* liber non esset.

Urg. 3. Repugnat, ut id, quod æternum est, impediatur per id, quod definito quodam tempore nanciscetur existentiam; atqui scientia Dei de futuro Antichristi peccato æterna est, potentia Antichristi, qua peccabit, primum futuro quodam tempore nanciscetur existentiam, ergo repugnat, ut dicta scientia Dei per Antichristi potentiam impediri possit.

℞. *D. ant.* Repugnat, ut id &c. si id, quod æternum est, non sit natura posterius eo, quod definito quodam tempore nanciscitur existentiam *C. maj.* si sit eodem natura posterius *N. maj.* sic *dist. min. N. cons.*

Deus sic videt futura, ut præsentia; igitur eo prorsus modo se habet dicta Dei scientia ad futurum Antichristi peccatum, quo se habet visio tua, dum Petrum sedentem cernis, ad ejusdem sessionem: hoc est, dicta Dei scientia natura posterior est futura Antichristi potentia peccandi, vel non peccandi; ac proinde non est, cur vi hujus impediri non possit. Hinc Boetius *lib.* 5. *de Consol. Phil.* "Sicut, »inquit, scientia præsentium nihil »his, quæ fiunt, ita præscientia fu»turorum nihil his, quæ ventura »sunt, necessitatis importat."

Urg. 4. Stante scientia Dei de futuro Antichristi peccato, iste omnino non poterit omittere peccatum: ergo non peccabit libere. *Prob. ant.* Si stante dicta Dei scientia omittere posset peccatum, Antichristus; posset dictam Dei scientiam falsam reddere: atqui istud repugnat; ergo stante scientia Dei de futuro Antichristi peccato, iste non poterit omittere peccatum. *Prob. maj.* Si Antichristus omitteret peccatum stante Dei scientia de ipsius peccato, eandem scientiam falsam redderet; ergo etiam, si posset omittere peccatum, posset scientiam Dei falsam reddere. *Prob. cons* Ab *esse* ad *posse* legitima est argumentatio (17. *cor.* 2.); ergo præsens argumentatio legitima est.

℞. *D. ant.* Non poterit omittere peccatum potentia *antecedente*, & ut amat dici, *pro sensu diviso* scientiæ Dei de futuro peccato *N. ant.* potentia *consequente*, & ut ajunt, *pro sensu composito* dictæ scientiæ *C. ant.* & *N. cons.* Nempe tametsi dicta scientia in Deo stet, verum est, actum primum proximum, vi cujus Antichristus peccabit, indifferentem fore ad utrumlibet extremum libertatis; quo si non abuteretur, impediret, ne unquam in Deo extiterit scientia de futuro ipsius peccato: quod quidem ad veram libertatem sufficit. Potentia tamen consequente omittendi pec-

catum, seu *pro sensu composito* scientiæ Dei, ita nimirum ut stet in Deo scientia de futuro peccato, & tamen Antichristus non peccaret, carebit: at hujusm. potentia requiri non potest ad libertatem; ea enim esset potentia peccatum cum ejusdem omissione componendi, quod tamen repugnat.

Ad prob. *D. maj.* Si pro sensu *composito* scientiæ Dei de futuro peccato posset idem peccatum omittere, posset dictam Dei scientiam falsam reddere C. *maj.* si pro sensu *diviso* duntaxat scientiæ Dei posset omittere peccatum, posset dictam Dei scientiam falsam reddere *N. maj. Minorem cons.* simpliciter, & *cons. D.* uti *majorem.* Ad hujus prob. *C. ant. D. cons.* Ergo etiam, si posset omittere peccatum *pro sensu composito* scientiæ Dei de futuro eodem, posset scientiam Dei falsam reddere *C. cons.* Si posset omittere peccatum *pro sensu* duntaxat *diviso* dictæ scientiæ, posset eandem falsam reddere *N. cons.* Scientia Dei de futuro Antichristi peccato nonnisi tunc redderetur falsa, si stante illa scientia omitteret peccatum Antichristus, adeoque si scientia illa *componeretur* cum omissione peccati: ergo etiam tunc solum posset Antichristus scientiam Dei falsam reddere, si posset efficere, ut stet in Deo scientia de futuro ipsius peccato, & tamen ipse reapse omittat peccatum; hoc est, si posset omittere peccatum *pro sensu composito* dictæ scientiæ Dei, quod tamen repugnat.

Ad ult. prob. *D. ant.* Ab *esse* ad proprium *posse* legitima est argumentatio *C. ant.* Ad *posse* alienum, seu ad *posse* aliter sumptum, quam sumatur ipsum *esse*, legitima est argumentatio *N. ant.* & *cons.* Si Antichristus omitteret peccatum stante scientia Dei de futuro peccato; omissio peccati esset *pro sensu composito* scientiæ Dei de futuro peccato, ut clarum est: ergo proprium *posse* hujus *esse* conditionati est posse omittere peccatum *pro sensu composito* scientiæ Dei de futuro peccato. Id est, ex hoc antecedente: *si Antichristus omitteret peccatum stante scientia Dei de futuro peccato, eandem scientiam falsam redderet*, nonnisi hæc consequentia fluit: *ergo si posset omittere peccatum pro sensu composito scientiæ Dei de futuro peccato, posset eandem scientiam falsam reddere.* Quam consequentiam nos quoque admittimus; at negamus in Antichristo potentiam omittendi peccatum *pro sensu composito* scientiæ Dei de futuro peccato: nam eam habet tantum *pro sensu diviso* hujus scientiæ.

309 Pro reliquis object. solvendis nota I. Qui ratione sufficiente ita volunt regi humanam voluntatem, ut hæc nihil amplecti possit, nisi pro quo major ratio pugnaverit, quam pro opposito, ajunt, mentem esse plane indifferentem ad hoc, aut illud amplectendum, ac proinde ad suas actiones externa quadam ratione sufficiente debere determinari; quemadmodum lapis semel ad quietem redactus semper in eodem loco perstabit, nisi externa quadam vi ad motum hac, aut illa directione concitetur. At discernenda est indifferentia, ut vocant *activa* à *passiva.* Passiva, qualem e. g. in hærente humi lapide observamus, nonnisi accedente externa causa tolli potest: at indifferentia voluntatis activa est, utpote quam voluntas, uti hactenus expositum est, ipsa pro arbitrio tollere potest.

310 II. Dum S. Augustinus *in enchir. n. 9.* hæc dicit: "Homo male „utens libero arbitrio & se ipsum „perdidit, & ipsum peccantem secu-

„ta est gravis, & dura peccandi ne- „cessitas" *moralem* quandam peccandi necessitatem è vehementi *concupiscentia* oriundam vult significare, cui post Adæ peccatum obnoxii sumus; non autem ejusmodi necessitatem, quæ nos ad peccandum necessitate quadam, quæ à nobis superari non possit, impellat. Nam præterquam quod ejus pro libero arbitrio judicium eluceat ex iis, quæ diximus num. 306. in resp. *ad confirm.* aperte docet *l. de Vera Relig. c.* 14. neminem posse peccare in eo, quod necessitate facit.

311 III. Sunt qui, pro qualibet volitione, nolitioneque elicienda necessarium esse censeant judicium quodpiam, ut nominant, *practicum*, quo voluntas ad volitionem, aut nolitionem determinetur, ita ut neque absque ejusmodi judicio quidquam velle, aut nolle; neque eo jam posito volitionem, aut nolitionem omittere possit. Porro practicum id genus judicium intellectus est ipsis illud quod expensis omnibus adjunctis pronuntiat objectum esse *actu eligendum*. Unde etiam ejusmodi judicium vocant *ultimum*. At opinatio hæc sustinenda non est. Nam imprimis cur voluntas non posset se se ad volendum, vel nolendum determinare absque omni id genus practico judicio, ut primum bonitas, aut malitia objecti rite ab intellectu percipitur? an quia voluntas de se, ut dici amat, *cæca* est? At quo argumento probabitur solide, non præferri ipsi sufficienter facem ab intellectu, objecti bonitatem, aut malitiam rite repræsentante; quin opus sit ullo practico judicio? Deinde practicum id genus judicium vel esset necessarium, vel liberum. Si primum: actum est de libertate nostrarum volitionum, nolitionumque. Nam illud judicium ingrederetur actum primum proximum volitionum, & nolitionum, poniturque ita esse connexum cum eo libertatis extremo, quod eligendum pronunciat, ut cum altero componi prorsus non possit: hinc voluntas neque in complendo actu primo proximo, neque etiam, ubi iste completus est, in actu secundo ponendo exerceret ullatenus suam indifferentiæ libertatem. Sin autem dicas, practicum illud judicium esse liberum, ajo: ut mens nostra hoc judicium practicum ferat, non indiget alio prævio judicio practico, secus redibit eadem quæstio, progressusque in infinitum admitti debebit: ergo pariter eadem mens etiam volitiones quascunque, nolitionesque elicere poterit, quin ad eas ullo judicio practico determinari debeat. Dico, *determinari*. Non enim inficior, sæpissime, dum quidpiam volumus, adesse etiam *concomitans* judicium, quo illud eligendum esse, aut saltem eligi posse judicemus: id unum nego, necessarium esse id genus *practicum* judicium, quo voluntas ad volitiones, nolitionesque suas *determinari* debeat.

CAPUT QUARTUM.

De natura, & origine humanæ mentis.

§. I.

An anima humana sit substantia spiritualis, & individua?

312 Animam humanam, seu id, quod in nobis est principium cogitationum, volitionum &c. esse substantiam, ex ipsa *substantiæ* notione n. 72. adlata, patet: eandem esse spiritualem, & individuam, seu simplicem, hoc loco ostendendum est.

Non enim desunt impii quidam Philosophi (si tamen Philosophi dicendi sunt) qui contendant, hominem nihil esse aliud, quam compositum quoddam, ex meris elementis corporeis ita compactum, & efformatum, ut ei certa materiæ organizatæ portio pro anima, & hujus motiones quædam mere corporeæ ac locales pro ipsis cogitationibus, volitionibusque sint. Audiamus unum eorum, Thomam Hobbesium in suo *Leviath.* p. 1. c. 3. "Causa sensionis, inquit, "est externum corpus, sive objec-"tum, quod premit uniuscujusque "organum proprium vel immediate, "ut in sensu tactus, & gustus, vel "mediate, ut in visu, auditu, ol-"factu: & premendo (mediantibus "nervis, & membranis) continuum "efficit motum introrsum ad cere-"brum, & inde ad cor: unde nasci-"tur cordis resistentia, & contra "passio, seu ἀντιτυπια, sive conatus "cordis deliberantis se à pressione "per motum tendentem extrorsum; "qui motus propterea adparet tan-"quam aliquid externum, atque "adparitio hæc, seu φαντασμα est id, "quod vocamus sensionem, & quan-"tum ad oculum, lumen dicitur, vel "color; quod attinet ad aurem, so-"nus; ad nares, odor; ad palatum, "sapor; & ad reliquum corpus ca-"lor, frigus, durities, mollities, & "cetera pertinentia ad sensum tac-"tus: quæ qualitates omnes nomina-"ri solent sensibiles, & sunt in ipso "objecto nihil aliud præter materiæ "motum, quo objectum in organa "sensoria diversimode operatur. Ne-"que in nobis aliud sunt, quam di-"versi motus; motus enim nihil ge-"nerat præter motum."

313 Alii, tametsi cogitationes, volitionesque nostras à motibus mere localibus discernant, ajunt tamen nihil obstare, quominus vis cogitandi corporeæ substantiæ, seu *materiæ* competat, ac proinde ratione naturali evinci non posse, animam humanam non esse materiatam. Utrisque respondebimus, ac tum animam humanam spiritualem, ac individuam esse debere concludemus.

314 Contra impiam illam doctrinam, quam n. 312. verbis Hobbesii retulimus, hæc attulisse sufficiet. I. In absurda hac hypothesi, imprimis *vivere* nos haud esset aliud, quam ita esse corpus nostrum organizatum, ut certis impressionibus in externos sensus factis cor certo modo commoveatur: cogitare, judicare, subtiliterque ratiocinari non esset plus, quam artificiosam corporis nostri machinam variis motibus agitari, ac proinde ejus partes de loco in locum certa lege transferri. Quam doctrinam quis sanæ mentis non videat, communi naturæ sensui aperte adversari? Deinde nonne percipimus res, à sensibus prorsus abstractas, ut Deum, virtutes, vitia &c. quam autem confinges motionem localem, in qua notiones rerum à sensibus prorsus abstractarum citra stultitiæ notam collocare possis?

315 II. Si dum judicium e. g. adfirmativum ferimus, nihil inest in nobis præter varias motiones locales; una motio vices subjecti, altera prædicati obibit, tertia denique easdem conjunget, annutumque constituet. Jam omnes hæ motiones in eadem corporis parte simul esse deberent: id enim, quod in nobis judicat, simul subjecti, & prædicati perceptionem habet, & nisi haberet, profecto adfirmaret annutu suo, quin videat, quid, & de quo adfirmet. Quomodo ergo fieri potest, ut motus illi non confundantur, sed eodem tempore, quo judicium ferimus, etiam notiones prædicati, & subjecti distinctas, & prorsus inter se non confusas ha-

beamus? nonne juxta generalem motus legem, n. 173. adlatam, dum uni eidemque corporis portioni diversi simul motus imprimuntur, hos confundi, inque novum motum compositum, à se diversum abire est necesse? Eadem de causa voluntas quoque, dum ipsi duorum bonorum optio datur, neutrum posset amplecti: cum enim compositus corporum motus media quadam linea, quæ *diagonalis* dicitur, incedere soleat, mentis adpetitio inter bonum utrumque veluti fluctuans vagaretur.

316 III. Denique ut alia taceam: sensus, & phantasma falluntur, dum rectum baculum, cujus dimidia pars aquæ immersa est, curvum exhibent; interea ratio errorem detegit, & constanter contradicit, etiam perdurante sensus, & phantasiæ errore. Jam si nihil esset ratio, nisi quidam motus, & conflictus cerebri, vel cordis; quoniam perdurat idem conflictus, dum phantasma idem refert, errorem suum nequaquam agnosceret. Quomodo enim posset idem conflictus, idem phantasma perdurare, & tamen errorem suum deprehendere? An ab alio (quærit S. August.) phantasmate docetur? Unde autem aliud istud? quomodo potest alterum ab altero percipi? quomodo cum objectó ipso conferri? Similí modo ostendi potest, neque pugnæ adpetitus sensitivi, & rationalis (280. *cor.* 2.) fore in nobis locum, si cogitationes nostræ in solis corporeis motionibus sitæ essent.

317 Priusquam iis respondeamus, quorum sensum n. 313. retulimus, notandum est, nobis nomine materiatarum substantiarum venire illas, è quibus corpora hæc nostra, mundusque aspectabilis coalescit, adeoque illas, quæ nomine *corporum*, hæcque componentium *materiæ punctorum* designari solent. Porro materiata substantia hoc sensu accepta, seu *materia* prædita est inertiæ vi, n. 180. descripta, ut adeo è statu quietis ad motum, aut ab hoc ad statum quietis, siquidem sibi ipsi relinquatur, transire nequeat. Deinde nullum unquam cognitionis, volitionisque vestigium observamus in ejusmodi ente, quod esse materiam certo novimus: lapides, metalla, ceteraque corpora ne sensus quidem ullius, nedum intelligentiæ, aut voluntatis indicia præbent: per solas motiones locales explicari possunt omnia ipsorum phænomena. Dicimus quidem, *vivere* plantas, corporaque animalium; at hæc usurpatio *vitæ* minus propria est: nam etiam vita hoc sensu accepta per solos locales motus in corpore rite dispositο factos explicari potest, ut in Physica docetur.

318 Propositio I. Anima humana est substantia incorporea, seu materiæ expers. *Prob.* 1.*mo* Substantia corporea est vi inertiæ prædita, ita ut sibi ipsi relicta nec è statu quietis ad statum motus, nec ex hoc ad illum transire queat (*præc.*): atqui anima humana profecto locum suum pro arbitrio suo mutat, ut intimus sensus cuique testatur; id quidem ita, ut una corpus etiam humanum de loco in locum transeat, sed tamen corporis quoque motus ab animæ imperio pendet: animam ergo humanam à corporeis his entibus, ex quibus aspectabilis hic mundus coalescit, discernamus, incorpoream que dicamus est necesse.

319 *Prob.* 2.*do* Substantia materiata caret vi cognoscendi, intelligendi, volendique. Ac imprimis ipsis quidem simplicibus materiæ punctis facultates has attribuere non possumus. Si enim singula horum vi cognoscendi, intelligendi, volendique pollerent; aliquod cognitionis, volitionisque vestigium deprehende-

remus in ejusmodi ente, quod materiam esse novimus: quemadmodum impenetrabilitatis, vis inertiæ &c. indicia continenter observamus. Deinde neque potest dici, posse saltem compositum quodpiam exurgere è dictis materiæ punctis, quod per ipsam sui compositionem, organizationemque habile fiat ad eliciendas cognitiones, volitionesque. Nam præterquam quod recte rationi adversetur, ut ex elementis vi cognoscendi, intellectuque penitus destitutis per meram consociationem, nexusque peculiares enascatur compositum *vivens*, intellectionesque, ac volitiones, quæ à motionibus localibus tantopere differunt, eliciens: ostendemus inferius, ejusmodi ens, quod cognoscit, judicat, vult, non posse esse compositum: unde etiam animam humanam debere esse simplicem substantiam concludemus.

320 Multi quamlibet incorpoream substantiam *Spiritum* nominant. Ipse D. August. hanc ei vocabulo notionem tribuit: nam *lib.* 12. *sup. Genes. num.* 16. "quidquid, inquit, corpus non est, & tamen aliquid est, recte jam spiritus dicitur." Aliis tamen vocabulum *spiritus* idem sonat, ac *substantia incorporea, vi intelligendi, & voluntate prædita.* Atque nobis quoque cum his loqui libet: non enim veremur, ne nobis quispiam litem de nomine moveat. Notandum nihilominus est, hoc loco spiritum *creatum* duntaxat à nobis definiri. Spiritus enim *increatus*, seu Deus, *substantia* dici (si nomine substantiæ designemus subjectum perdurabile, simulque modificabile) non potest (72). Hinc quum spiritum ita volumus definire, ut etiam Deo conveniat; id vocabulum latius sumimus, aimusque, spiritum esse *ens incorporeum, vi intelligendi, ac volendi præditum.*

321 PROPOSITIO II. Anima humana est spiritus. Est enim imprimis substantia incorporea (318); deinde pollet intellectu, liberaque voluntate (252. *cor.* & 291.): est ergo spiritus (*præc.*)

322 PROPOSITIO III. Anima humana simplex, & individua substantia est. *Prob.* Si anima humana in plures partes dividua esset; vel 1) singulæ harum partium præditæ essent singulis iis facultatibus, quibus pollemus, ut vi sentiendi, intellectu, voluntate &c. vel 2) altera earum sola intelligendi vi gauderet, altera sola voluntate &c. vel denique 3) nulla earundem seorsim sumpta posset ullius facultatis nostræ actiones exercere, verum ad singulas id genus actiones singulæ partes animæ, vel saltem plures earundem operam suam conferre deberent: atqui nihil horum dici potest, quod declaro: 1.*mum* dici nequit: secus enim, ut patet, unusquisque nostrum non unicam, sed plures animas distinctis corporibus regendis aptas haberet; quod tamen quis, nisi summa cum temeritate, dicat? Imo tametsi quis eo temeritatis prolaberetur, ut istud adfirmare non vereatur; saltem id evinci posset hac, qua utimur, argumentandi ratione, unamquamque animarum nostrarum simplicem, & individuam substantiam esse debere.

Neque potest dici *alterum.* Secus enim ea mentis nostræ pars, quæ solis judiciis ferendis occuparetur, iis de rebus judicaret, quarum notionibus ipsa prorsus careret: ea, quæ sola voluntate gauderet, amplecteretur, quod esse bonum non cognosceret; aversaretur, quod esse malum ignoraret &c. Quæ, & alia id genus sustineri prorsus non posse, facile quisque videt.

Non potest denique dici 3.*tium.*

Nam imprimis si nulla dividuæ animæ pars, seorsim accepta, gaudet intelligendi vi, libera voluntate &c. qua ratione poterit fieri, ut eædem simul sumptæ intelligentiam, liberamque voluntatem &c. adipiscantur? an e. gr. ab aliqua parvulorum collectione, quorum singuli nullum, aut admodum tenuem rationis usum habeant, egregia promi consilia, vel alia maturi intellectus specimina dari possunt? Deinde adsumamus ex. gr. triangulum; cujus notio tria latera, horumque certam positionem complectitur. Si singulæ partes animæ dividuæ concurrunt ad hanc notionem efformandam; una pars unum, altera alterum, tertia tertium latus repræsentabit, quarta denique ipsam laterum horum positionem certam sibi præsentem sistet. At istud quidem perquam absurdum est. Repugnat enim, ut quæpiam animæ pars repræsentet sibi certam trium laterum positionem, quin simul ipsa tria latera sibi repræsentet: ac proinde illa pars animæ, cui dictæ trium laterum positionis repræsentatio adsignatur, totam trianguli notionem absolvet. Quodsi autem ita se res habet, quo jam fine repræsentabit una ex reliquis animæ partibus unum, altera alterum, tertia tertium trianguli latus? qua item ratione poterit defendi, plures animæ partes ad eandem trianguli notionem efformandam unitis viribus concurrere? Eodem modo, si hoc e. g. judicium feras, *Deus est justus*; eadem omnino pars animæ, quæ adfirmat, Deum esse justum, simul notiones *justi*, & *Dei*, item concordiæ prædicati & subjecti habeat, oportet; secus enim adfirmabit, quin sciat, quid, de quo, & cur adfirmet: ergo rursus non potest dici, quod plures animæ partes idem judicium de Deo ferendum inter se quodammodo partiantur. Plura hujusmodi possent adduci: igitur ne id quidem potest sustineri, quod 3.*tio* loco positum est; adeoque anima nostra simplex, & individua substantia sit, oportet.

Coroll. 1. Igitur inter varias mentis nostræ facultates, e. g. inter intellectum & voluntatem nonnisi distinctio rationis intercedit (43).

Coroll. 2. De quocunque alio spiritu sermo sit, positum argumentum eandem vim obtinet: quivis ergo generatim spiritus est simplex & individua substantia.

Coroll. 3. Cum anima humana ens simplex sit, oriri nequit, nisi oriatur de nihilo, seu creetur; neque potest interire, quin abeat in nihilum (59).

Coroll. 4. *Corrumpi* dicitur id, quod resolvitur in partes, ex quibus coagmentatum fuit. Cum ergo anima humana sit ens simplex, ea corrumpi nullo modo potest: ac proinde anima humana est prorsus *incorruptibilis*.

Schol. Ut alios veteres taceam, Tullii hæc est de præsente argumento sententia: "In animi autem cognitione, inquit *Tusc. quæst. lib.* 1. *cap.* 29. dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Item Aristoteles *lib.* 12. *Metaph. t.* 55. Omne, inquit, non habens materiam indivisibile est, quemadmodum humanus intellectus."

323 *Obj. cont.* 1.*mam Propos.* 1.*mo* Non constat nobis, utrum materiæ, ex qua nimirum nostra hæc corpora coalescunt, non conveniat vis intelligendi, liberaque voluntas; ergo non constat nobis, utrum anima hominis ipso genere differat à materia:

adeoque non est certum, animam hominis esse substantiam expertem materiæ. *Prob. ant.* Essentiam materiæ pervidere non possumus: ergo non constat nobis &c.

℞. *N. ant.* Ad prob. *C. ant. N. cons.* Ut certo statui possit, intelligendi vim, ac liberam voluntatem (præcipuos animi characteres) materiæ minime convenire, necesse non est, ut ejusdem essentiam pervideamus: sufficit imprimis, quod materia inertiæ vi, num. 180 descripta, prædita sit, quæ tamen in anima humana, se ipsam, corpusque pro arbitrio ad motum determinante locum non habet; deinde quod intellectionum, volitionumque, quarum anima in nobis principium est, nulla unquam vestigia cernamus in iis entibus, quæ mere corporea esse novimus. Sic etiam, ut tuto dicere possis, vitrum non esse aurum, necesse non est, ut ipsam vitri, aut auri essentiam perspectam habeas.

Urgeb. 1. Materiæ convenire possunt vires attractivæ, & repulsivæ: ergo eidem convenire potest etiam vis cogitandi, & volendi, consequenter adhuc non constat nobis, utrum anima humana sit materiæ expers.

℞. *C. ant. N. cons.* Dispar ratio est. Vires enim attractivæ & repulsivæ non aliud sunt, quam determinationes quædam ad accessum vel recessum mutuum, adeoque ad motus locales (175); non est ergo, cur materiæ convenire non possint: imo quod eidem re ipsa conveniant etiam, firmis argumentis comprobatur (176, & seq.) At cogitationes, volitionesque à motibus localibus toto genere differunt (314); quarum cum nullum unquam vestigium deprehendamus in ente, quod puram materiam esse novimus, vel hoc ex capite jure concludimus, materiam carere vi cogitandi, & volendi (317). Præterea animam humanam à materia discernendam esse inde quoque patet; quod materia sibi relicta de quiete ad motum, & vicissim transire nequeat, anima vero humana locum suum pro arbitrio mutare queat.

Urgeb. 2. Vel arte humana miræ machinæ possunt è materia efformari. Sic Alberti Magni fictile caput quasdam voces articulate protulisse legitur: Joannes Regiomontanus fertur Aquilam è ligno effinxisse, quæ volans Imperatori Norimbergam proficiscenti viam ostenderit &c. ergo infinita Dei efficacitas ex eadem materia ipsam etiam animam hominis, intelligendi vi, ac voluntate libera præditam efformare potuit.

℞. *D. ant.* Vel arte humana miræ machinæ possunt è materia efformari; quarum tamen effectus omnes vis inertiæ legibus adstrictæ sint, perque solas motiones locales explicari queant ab iis, quibus earundem structura perspecta sit. *C. ant.* à quibus proficiscantur actiones inertiæ vi repugnantes, & quæ per leges motuum mechanicis notas explicari non possint *N. ant. & cons.*

Machinæ undique corporeæ non nisi ejusmodi actionum sunt capaces, quæ solis motibus localibus vi inertiæ consentaneis juxta leges Mechanicæ peragantur: unde etiam non sunt actionum suarum sibi consciæ, neque possunt errores suos emendare; sed si semel deerrare cœperint, errare pergent, dum ab artifice emendentur. Longe alia est ratio actionum, quæ ab anima intellectu, liberaque voluntate prædita proficiscuntur. Deinde è num. 322 patet, ens intellectu voluntateque præditum non posse esse compositum, sed simplicem substantiam esse debere. Unde ex eo, quod Dei efficacitas in-

finita sit, quod quidem ad rem præsentem attinet, non aliud consequitur, quam quod ab eo ex ejusmodi materia, è qua hæc corpora nostra constant, possit perfectior semper, & perfectior machina efformari, sed tamen cujus effectus omnes inertiæ vi consentiant, solisque localibus motionibus peragantur. (*a*)

324. *Obj. 2.do* Tanta est animæ humanæ cum corpore connexio, ut certas hujus adfectiones certæ in illa adfectiones consequantur. Sic si langueat caput, anima non ita potest, ac prius, suas obire functiones: ergo anima nostra est ens ejusdem cum corpore generis. *Prob. cons.* Nequit concipi, qui posset esse tanta corpus inter & animam consociatio, si genere ipso inter se differrent; ergo eo ipso, quod tanta sit animæ humanæ cum corpore connexio, jam inferre licet, animam humanam ejusdem generis ens esse cum corpore. *Confirm.* Adamo post peccatum aperte edixit Dominus *Gen.* 3. *v.* 19. "Pulvis es, & in pulverem „reverteris."

℞. *C. ant. N. cons.* Hæc enim adfectionum consensio ex eo vinculo oritur, quo anima in corpus veluti demersa eidem arctissime copulatur, non ex similitudine naturarum. Ad prob. *D. ant.* Nequit concipi &c. nihilominus tamen utrumque certum est, nimirum & genere ipso differre animam à corpore, & eandem huic arctissime copulari *C. ant.* secus *N. ant. & cons.* "Nunquid ideo negandum est (inquit „alio in argum. S. Augustinus *l.* „*de Dono Persev.*) quod apertum est, „quia comprehendi nequit, quod „occultum est? nunquid, inquam „propterea dicturi sumus, quod ita „esse perspicimus, non esse; quoniam, cur ita sit, non possumus, „invenire?"

Ad Confirm. Ajo: effato primo nonnisi corporis dissolutionem futuram denunciavit Adamo Dominus, quam ille peccato suo est commeritus. Certe si anima ipsa hominis in pulverem abiret post mortem, æternis præmiis, aut suppliciis locus non esset, quæ tamen animabus hominum parari, sacræ paginæ identidem adfirmant. Quid, quod diserte legamus hæc in Ecclesiaste *c.* 12. "Et revertatur pulvis in terram „suam, unde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum."

325. *Obj. cont. 3.tiam Propos.* Cogitationes nostræ dividuæ sunt; idem ergo dicendum est etiam de subjecto earundem, seu de anima nostra. *Prob. ant.* Docent Physici, è septem vel octo primigeniis coloribus confusis enasci colorem candidum; ergo idea coloris candidi componitur in nobis è septem vel octo diversis primigeniorum colorum ideis: eo ipso autem cogitationes nostræ dividuæ sint, oportet. *Confirm.* Si anima nostra non esset dividua, rerum extensarum imagines, e. g. la-

(*a*) *Si quis contendat, non esse certum, an non posset Deus condere aliquod ens, quod & vi inertiæ, impenetrabilitate, ceterisque corporum proprietatibus, & simul etiam vi cogitandi, ac voluntate gaudeat, propterea, quod ob inertiæ vim nonnisi ad statum* motus, *vel* quietis *mutandum deberet ab ente alio determinari; R. etiamsi possibile ponatur ejusmodi ens, illud tamen nec erit corpus, nec spiritus, sed tertium aliquid, à corpore discrepans per vim cogitandi ac volendi, à spiritu per inertiam, impenetrabilitatem &c. Vide Boscov. Philos. Nat. Theor. Edit. Venetæ n.* 155.

Fig. 1




Fig. 2.






Fig. 3.

te patentium camporum in se non posset efformare: atqui has efformat; dividua ergo est.

R. N. *ant.* Ad prob. *C. ant. N. cons.* Dum enim radii heterogenei, qui si singillatim in oculos illaberentur, diversorum colorum ideas in nobis excitarent, permixti, confusique unitis viribus agunt; unica duntaxat impressio fit in organum visus, distincta à singulis illis impressionibus, quas iidem radii heterogenei singillatim in idem organum visus illapsi facerent: hinc etiam impressionem illam unica individua coloris notio consequitur in anima, quæ prorsus distincta sit à singulis illis colorum notionibus, quæ in nobis enascerentur, si dicti radii oculos nostros singillatim pervellerent.

Ad Confirm. N. ant. Imo si anima dividua esset, prorsus non posset notionem figuræ cujuspiam, e. g. campi triangulum referentis obtinere, ut ex eo argumentandi genere patet, quo usi sumus n. 322. Deinde, si prorsus necesse est, ut id, quod entis compositi notionem obtinet, ipsum quoque compositum sit; Deum ipsum partibilem esse adseras, est necesse. Denique positum argumentum nullius esse roboris, vel inde patet, quod in ipsos Adversarios retorqueri possit. Eodem enim jure dicemus, nos in anima dividua notionem rei individuæ inesse non posse. Neque ulla comparatio duci potest à corporeis extensarum rerum imaginibus, quod nimirum hæ semper partibus constare debeant. Quis enim simulacra corporea, quæ ab objectis suis natura non discrepant, contendat cum *vivis* rerum imaginibus, in mente nostra efformatis?

§. II.

De immortalitate humanæ mentis.

326 *Immortalitas* est vita sine fine duratura: hinc *immortale* est, cujus actiones vitales, ut intellectiones, volitiones &c. in omnem æternitatem sunt duraturæ. Porro id, quod sufficientem tam existentiæ, quam vitæ suæ rationem in essentia sua continet, adeoque quod absoluta necessitate & existit, & vivit, est *essentia immortale. Natura immortale* est, quod servatis naturæ legibus vita spoliari non potest. *Gratia* denique *immortale* dicitur, cujus existentia, & vita præter communem naturæ cursum gratuito Dei beneficio in omnem æternitatem conservatur.

Coroll. 1. Igitur etiamsi quodpiam ens perpetuo duraturum esset: si tamen nequiret exercere functiones vitales, immortale dici non posset.

Coroll. 2. Cum solus Deus existat & vivat necessitate absoluta; *essentia* immortalis solus Deus est. Hinc de humana mente id solum quæri solet, an si *natura* sua immortalis.

327 Humanam mentem destructo corpore non dissipari, imo ejus vitam nullis temporum limitibus circumscribendam esse, Fidei dogma est. Ut enim alia Divinorum eloquiorum testimonia præteream, 1.*mum* aperte consequitur è verbis Servatoris ad Latronem in Cruce prolatis *Luc.* 23. "Hodie mecum eris in „Paradiso." Item *Matth. c.* 10. "Nolite timere eos, qui occidunt „corpus, animam autem non pos-„sunt occidere." Alterum etiam diserte docet idem Servator noster *Matth.* 25. dum ait: "ibunt hi in „supplicium æternum; justi autem „in vitam æternam." Nihilominus

Concilium Lateranense sub Julio II. & Leone X. celebratum. *Sess.* 8. Philosophis præcipit, ut ad demonstrandam humanæ mentis immortalitatem omnes ingenii sui vires adhibeant, hancque veritatem, quæ è præcipuis orthodoxæ Fidei veritatibus una est, non solum auctoritate, verum naturali etiam ratione stabilire pro viribus adlaborent. Nos istud sequentibus propositionibus præstare conabimur. Ceterum nullus à nobis summum in demostrando rigorem exigat: animo docili, veritatisque amanti sufficient ea argumenta, quæ omne de opposito prudens dubium excludant.

328 Propositio I. Ponamus animam humanam destructo corpore manere superstitem: ea vitales suas actiones, spectata natura sua, obire adhuc poterit. *Prob.* 1.*mo* Si enim non posset, id esset ideo, quod ea in omnibus vitalibus suis functionibus necessario omnino, necessitate ex ipsa ejus natura profluente, dependeat à quibusdam organizati corporis motionibus: atqui istud dici non potest. Nam imprimis quo fundamento potest adstrui motionibus corporeis ea vis, in qua possit, & debeat contineri ratio sufficiens tam nobilium, totoque genere à motionibus localibus differentium animæ functionum? ut intellectionum, quibus res ab omnibus sensibus abstractas, e. g. Dei existentiam, virtutem percipit, subtilissimarum ratiocinationum, volitionum, nolitionumque, ad quas, etiam quum certis impressionibus in sensuum organa factis certas cerebri motiones persentiscit, adhuc libere se se determinat? Deinde etiamnum, quum luteam hanc machinam circumferimus, quo magis avocamus animum à consuetudine sensuum, rebusque corporeis, eo facilius perspicimus subtilium veritatum connexiones, & eo puriores, magisque distinctas rerum ideas adipiscimur; ita ut nec sit quidem unquam in nobis intellectio pura, nisi quæ ab omni sensatione, imaginatione que depurgetur (258). Unde inferre sane licet, ubi anima humana à corpore, cui nunc immersa velut in carcere quodam delitescit, separata fuerit, separationem hanc ipsi in vitalibus suis functionibus exercendis adjumento potius, quam obici futuram. Quapropter Tullius quoque *Tusc. quæst. l.* 1. c. 20. "Atque „ea profecto (*nempe quæ nunc sen*„*suum ope percipimus*) tum multo „puriora, inquit, & dilucidiora „cernentur, cum, quo natura fert, „liber animus pervenerit."

329 *Prob. ead. Propos.* 2.*do* Ex summa Dei in homines æquitate legitime deducimus, ita esse animam hominis natura comparatam, ut dissipato etiam corpore adhuc præmii, ac pœnæ, ac proinde actionum vitalium capax sit. Cum enim eam rationem Deus nobis indiderit, cujus ductu agnoscamus, quid agendum, quid ex adverso vitandum sit, liberaque voluntate nos donatos voluerit; ad ejus æquitatem pertinet utique, eos, qui recte agendi studio adducti se se à vitiis abstinuerint, condigne præmiare; alios contra, qui ut indulgerent genio, quasvis naturæ leges promiscue violaverint, justis pœnis adficere. Quodsi autem anima post interitum corporis non est præmii, pœnæve capax, hæc Numinis in nos æquitas nulla ratione defendi potest. Palam enim est, sæpe improbos hac in vita felices esse, quin dignas sceleribus dent pœnas; ex adverso probos non raro ad extremum usque vitæ diem plurimis cum ærumnis misere conflictari. Unde D. Chrysostomus *Orat.* 4. *de Provid.* "Si nihil est, inquit, post hanc

»vitam, ne Deus quidem est. Sin »Deus est, justus est: quodsi justus sit, pro dignitate tribuet unicuique."

330 *Confirmatur* idem ex providentia illa, qua mundum ab Auctore naturæ gubernari convenit. Ejus enim providentiæ præcipuum sane caput est, ea bene merentibus præmia, sceleratis vero supplicia constituere, quibus omnes universe homines moveri possint ad ardua quæque arripienda studio exercendæ virtutis, vitiorumque declinandorum: id quod exemplo providorum Principum terrestrium illustrari potest. Quodsi autem anima humana dissipato corpore vitam amittit, quod erit, quæso, aptum ad vetitas voluptates, aliaque scelera vitanda incitamentum? an non eo quis erit prudentior, quo plus genio suo indulserit, si nihil, quod post mortem aut speret, aut timeat, habuerit? Certe ipse Augustinus Magnus de se ipso fatetur l. 6. *Confess.* "Nisi »credidissem, inquit, post mortem »restare vitam, Epicurus palmam in »animo meo occupasset." Neque dicas, satisfieri huic providentiæ Divinæ, quod homines ita natura comparati sint, ut ignorantes, quid post mortem ipsis eventurum sit, ad id, quod securius est, incitentur, nimirum ad vitanda scelera, colendamque virtutem; tametsi deinde dissipato corpore reapse penitus intereant. Si enim sic sentis, nos à Deo fraudulenter in officio contineri existimas, scilicet inani spe, metuve: quod de Optimo Numine vel cogitare ingens sane scelus est.

Schol. *Probatio* 2.*da* (*præc.*), & nunc adlata *Confirmatio* non modo *Propositionis* I. (328.) veritatem evincunt, sed evincunt etiam, animam humanam destructo corpore reapse superstitem esse debere, saltem aliquo tempore, idque ita, ut vitales suas functiones exerceat, seu vivat: eandem ita esse natura comparatam, ut spectato naturæ cursu communi nunquam omnino possit exui vita, è sequentibus elucebit.

Coroll. Quoniam anima humana vitales suas functiones etiam absque ullis corporis organizati motionibus exercere potest; liberæ duntaxat Dei legi, qua is animam humanam corpori copulari voluit, adscribendum est, quod ea, quamdiu corpori inclusa manet, in exercendis vitalibus suis actionibus à motionibus corporeis certa ratione dependeat.

331 Propositio II. Anima humana à nullo ente creato potest unquam destrui. *Prob.* Anima humana nequit destrui, nisi per annihilationem (322. *cor.* 3.): atqui nullum ens creatum potest quidquam annihilare; ergo neque potest animam humanam destruere. *Prob. min.* Dicemus in Theologia naturali, annihilationem non esse aliud, quam cessationem conservationis, conservationem autem esse continuatam creationem: hinc ille solus potest annihilare ens, qui illud conservare potest, & ille unus potest conservare, qui potest creare. Atqui creandi vis nulli creato enti potest competere, ut itidem in Theol. nat. videbimus: ergo neque potest competere vis quidquam annihilandi. Et sane neque creationem rei, neque annihilationem posse convenire causis creatis, vel inde patet, quod omnes rerum productiones, & destructiones ab illis sola partium conjugatione, dissociatione &c. perficiantur, quin possit ullus unquam casus adsignari, in quo constet, quidpiam à causa creata esse de nihilo productum, aut redactum in nihilum.

332 Propositio III. Animam humanam extra corpus positam nulla creata vis potest á suis vitalibus ac-

tionibus impedire. *Prob.* Si aliquod creatum ens efficere posset, ne anima humana corpore soluta possit exercere vitales functiones; id efficere deberet vel 1.) tollendo animæ vim ipsam cogitandi, ac volendi; vel 2.) subtrahendo omne objectum cogitationum, volitionum, nolitionumque; vel 3.) ponendo quodpiam impedimentum. Jam *primum* fieri nequit: vis enim cogitandi, & volendi reapse est ipsa simplex animæ substantia, quam posse etiam sine organis corporeis suas vitales functiones exercere ostendimus n. 328; ea ergo vis tolli nequit, nisi ipsa simplex animæ substantia destruatur: quæ tamen à nullo ente creato potest destrui (*præc.*) Neque potest fieri *alterum*: nam ipsa anima est sibi objectum intime præsens: potest ergo imprimis se ipsam, suasque mutationes, & adfectiones percipere; potest deinde ex his Dei existentiam; ejusque infinitas perfectiones ratiocinando deducere; tum eundem amare, laudare &c. Denique non potest dici 3.tium: cum enim anima humana sine ullis motionibus corporeis interna sibi vi exercere queat vitales suas functiones; quis fingi potest obex ab aliquo creato ente ponendus, quo ea impediri queat, quominus saltem se cognoscat, & ex suis mutationibus, adfectionibusque in cognitionem Dei ratiocinando devolvi possit?

333 Jam si quæratur, an Deus, ut *Auctor naturæ*, seu servatis naturæ legibus, possit animam humanam unquam destruere, aut vita exuere; ajo, si Deus ut Auctor naturæ id efficere posset, deberet efficere vel per causas creatas, vel per se ipsum immediate: per causas creatas efficere nequit, uti patet ex Propos. 2. & 3. ergo deberet per se ipsum præstare. Hinc tota quæstio huc recidit, utrum Deus non ageret contra communes naturæ leges, si aliquando animam humanam in nihilum redigeret, aut non annihilatam vita exueret.

334 Ad quæstionem hanc multi hoc fere modo respondent: amplissima, inquiunt, inductione evinci potest, hanc esse naturæ legem, ut nihil intereat rerum sensibilium, nisi actione causarum externarum; quæ naturæ lex ad omnes universe res creatas, etiam quæ sensibus percipi nequeunt, jure extenditur, nisi *positiva* ratio in quadam entium classe contrarium evincat. Atqui nulla potest adduci ratio positiva, quæ evincat, dictam naturæ legem non debere extendi ad ipsam animam humanam: hujus enim existendi finis neque destructo corpore cessat; utpote cui etiam tunc sufficiens existendi finis est cognoscere Deum, amare, laudareque, aut si pœnas merita est, has ferendo infinitam Dei justitiam manifestare. Igitur (inferunt) si Deus ipse per se annihilaret animam humanam, non ageret secundum communes naturæ leges, consequenter Deus servatis naturæ legibus animam humanam ipse per se annihilare non potest. Eadem argumentandi ratione inferunt, non posse fieri servatis naturæ legibus, ut ipse Deus per se vitam adimat animæ humanæ, seu ut eam ab exercitio vitalium suarum actionum impediat: nam eo quoque casu violaretur ea naturæ lex, juxta quam omnis naturalis entium interitus actione causarum creatarum peragi debet. Unde cum animam humanam causæ creatæ prorsus non possint destruere, aut vita exuere, uti 2.*da*, & 3.*tia* Propos. ostensum est; demum concludunt, animam humanam servatis naturæ legibus annihilari, aut vita exui omnino non posse, ac proinde eandem esse natura sua immortalem.

335 At hæc quidem argumentandi ratio non videtur satis esse firma. Nam 1) inductio illa, cujus ope eruitur generalis illa naturæ lex, quæ argumentationis hujus fundamentum est, nititur observationibus, & experientiis, quas de rebus sensu perceptibilibus, ac proinde corporeis habemus: nulla autem philosophandi regula docet, proprietates, & naturæ leges, in corporibus inductione detectas, ad ipsos etiam spiritus extendi debere; secus enim etiam impenetrabilitatis legem, quam ope inductionis pro corporibus stabilimus, ad animam humanam tuto extenderemus. 2) Ponamus Deum, quum mundum condere constituit, generales naturæ leges, ad entium conservationem pertinentes pro certo duntaxat annorum numero, e. g. pro mille annorum millionibus sibi præstituisse, ita ut evolutis his annis nullum amplius ens velit conservare, sed omnia in nihilum suum recidere patiatur. Stante hac hypothesi Deus omnes animas humanas, quin omnia etiam corpora (non obstante illa naturæ lege, cui dicta argumentandi ratio innititur) evolutis dictis annis profecto annihilabit, quin agat contra ordinem, cursumque naturæ à se stabilitum. Quod si ergo hypothesis hæc non est impossibilis, certi necdum sumus, animam humanam servatis naturæ legibus non posse unquam à Deo anihilari, etiamsi dictam naturæ legem à corporibus ad ipsam etiam animam humanam extendi ponamus.

336 Porro hypothesim hanc imprimis quoad entia materialia impossibilem esse vix possumus dicere: quis enim Deo neget libertatem dicta lege condendi substantias materiatas? unde etiam ratione naturali nequimus profecto ostendere, corporum elementa, utut sint substantiæ simplices, ab Auctore naturæ in omnem æternitatem conservatum iri. Ejusdem hypotheseos impossibilitas nec quoad animam humanam potest evinci ex iis fundamentis præcise acceptis, quibus argumentatio, numer. 334. adlata, innititur. Nam ex eo, quod anima etiam post interitum corporis queat vitales functiones exercere, seu, ut dici solet, *existendi finem habeat*, non plus consequitur, quam *posse* eam ab Auctore naturæ in æternum conservari: ut anima titulo finis exigat naturaliter æternam sui conservationem, non sufficit, eam etiam destructo corpore manere in se aptam ad adsequendum illum finem, quem nondum destructo corpore sibi præfixum habuit; sed necessarium præterea est, ut re ipsa velit Deus ejusmodi finem ab anima humana per totam æternitatem obtineri. Sic etiam, tametsi elementa corporum semper habitura sint finem existendi eatenus, quatenus semper apta erunt ad aspectabilem hunc mundum constituendum; nulla tamen ratione naturali possumus evincere, finem illum elementis à Deo reapse non pro definito duntaxat tempore, sed pro tota secutura æternitate esse præfixum. Itaque paulo alia adducemus pro immortalitate animæ humanæ argumenta. Prius tamen sit adhuc.

337 Propositio IV. Auctor naturæ ejusmodi generalem naturæ legem non constituit, vi cujus anima humana (saltem ita constituta, uti nunc eam constitutam esse sensu intimo novimus) post definitum quodpiam tempus in nihilum recidat, sed potius contrariam, scilicet de perpetua ejusdem conservatione, tulit. *Prob.* Unusquisque nostrum intimo sensu novit, ita se esse natura comparatum, ut veram felicitatem suam, ac beatitatem non adpetere non pos-

sit : id est, ita natura comparati sumus, ut quotiescunque idea veræ felicitatis menti nostræ obversatur, illico necessarius ejusdem adpetitus in nobis enascatur, isque vehemens, & nos ad veram illam felicitatem nostram exquirendam, ac obtinendam constanter incitans. Unde S. Augustinus *Serm.* 1. *in Psal.* 118. "Beatum »esse tam magnum est bonum, in»quit, ut hoc & boni velint, & ma»li. Nec mirum est, quod boni prop»terea sunt boni; sed illud mirum »est, quod etiam mali propterea sint »mali, ut sint beati." Porro noster iste adpetitus non potest exsatiari, nisi ejusmodi bono, quod & summum sit, & quod videamus nunquam nobis ereptum iri, quemadmodum unusquisque nostrum, si internos animi sui motus diligenter examinet, facile intelligit, ita ut fateri debeat, verissimum esse illud ejusdem S. Doctoris *l.* 1. *Confess. c.* 4. "Fecisti »nos ad Te, & irrequietum est cor »nostrum, donec requiescat in Te" item illud Tullii *de Fin. l.* 1. *c.* 27. "Si amitti vita beata potest, beata »esse non potest." Unde sic licet argumentari. Si Auctor naturæ eam sibi præstituisset generalem naturæ legem quoad animas humanas, ut eas ad certum duntaxat tempus conservet, tum in suum nihilum recidere patiatur; lex illa naturæ plurimum adversaretur ei animæ nostræ naturali constitutioni, quam intimo sensu discimus, redderetque naturaliter impossibilem consecutionem veræ felicitatis nostræ, cujus tamen adpetitus sit nobis necessarius : atqui hæ sequelæ sunt absurdæ; ergo Auctor naturæ dictam sibi legem non præstituit, sed potius contrariam, scilicet de perpetua animæ humanæ conservatione. *Prob. min.* Ex his sequelis manifesta imperfectio redundaret in Auctorem naturæ: nam non constituisset eas naturæ leges, quibus anima humana modo naturæ suæ conveniente regatur, & quoniam adpetitus veræ beatitatis in nobis natura sua tendit eo, ut nos ad veram beatitatem quærendam incitet, is adpetitus esset datus nobis pro medio id quærendi, quod naturaliter adsequi repugnet : quod tamen cum infinita naturæ Auctoris sapientia profecto non cohæreret.

Coroll. Si anima humana superstes quidem esset in perpetuum, sed tamen à vitalibus suis actionibus impediretur; perinde non esset capax adsequendi veram suam felicitatem, ac si annihilaretur: ergo perinde certum est, Deum ut Auctorem naturæ non præstituisse sibi legem de tollenda post aliquod tempus vita humanæ animæ, ac certum est, eundem non præstituisse sibi legem de eadem anima humana aliquando annihilanda.

338 PROPOSITIO V. Anima humana est natura sua immortalis. *Prob.* 1.*mo* Animam humanam etiam destructo corpore nullum ens creatum potest aut destruere, aut impedire ab exercendis vitalibus suis actionibus (331. & 332.); deinde neque potest eandem Deus ipse ut Auctor naturæ aut annihilare, aut vita exuere (*præc. ejusque cor.*): ergo anima humana est natura sua immortalis (326.)

339 *Prob. eadem Propos.* 2.*do* Judicium istud : *anima hominis est natura sua immortalis*, ejusmodi est, in quod nationes omnes ac populi ipsa natura duce, ac magistra conspirarunt semper, ac etiamnum conspirant; si paucos Epicuri sectatores demas, quos, ut Cicero loquitur *Quæst. Tusc. l.* 1. *c.* 31. "nescio, quo »modo doctissimus quisque contem»nit." Audiamus imprimis Senecam *epist.* 118. "Cum, inquit, de anima-

„rum æternitate disserimus, non „leve momentum apud nos habet con„sensus hominum, aut timentium „æthera, aut colentium." Item Tull. *l.* 1. *Quæst. Tusc. c.* 14. "Maximum „vero argumentum est, inquit, na„turam ipsam de immortalitate ani„morum tacitam judicare, quod „omnibus curæ sunt, & maxime qui„dem, quæ post mortem futura „sint. — Nemo unquam sine magna „spe immortalitatis se pro patria „offerret ad mortem." Item *c.* 16. "Permanere, inquit, animos arbi„tramur consensu nationum om„nium." Dicti ergo judicii veritatem in dubitationem adducere non possumus (*Log.* 170.)

340 *Confirm.* Præcipuum incitamentum, quo homines ad vitæ honestatem, vitandaque scelera potissimum moveri solent; est universalis illa persuasio, quam de immortalitate animæ suæ habent: si ergo persuasio hæc falsa esset, præcipuum honestæ vitæ, humanæque societatis fundamentum in errore situm esset, supremusque mundi Gubernator falsa persuasione nobis ingenerata adliceret nos ad colendam virtutem, vitiaque declinanda; communis enim hominum in re tanti momenti persuasio Deum ipsum Auctorem habeat, oportet: atqui illud de Optimo Numine vel cogitare scelus est; dicta ergo persuasio hominum vera sit, oportet.

341 *Prob.* 3.*tio* Ipse communis naturæ sensus vetat nos tam vilem de naturali nostra conditione opinionem fovere, ut existimemus, nos minus posse esse felices, quam bestias, quibus ceteroquin natura longe antecellimus: atqui profecto longe deterioris conditionis naturalis nos esse voluisset naturæ Auctor, quam ipsas bestias, si anima nostra non esset natura sua immortalis. Nam uti n. 337. vidimus, naturalis noster adpetitus, quo in bonum nostrum ferimur, exsatiari non potest, nisi æternum vivamus; bestiarum vero adpetitiones hac in vita plenissime satiantur. Unde S. Augustinus *lib.* 1. *de Civ. Dei c.* 29. "Si pecora, „inquit, essemus, carnalem vitam, „& quod secundum sensum ejus est, „amaremus; idque esset sufficiens „bonum nostrum: & secundum hoc „cum esset nobis bene, nihil aliud „quæreremus."

§. III.

Solvuntur objectiones.

342 *Obj. contra* 1.*mam Propos.* Ipsa virtus sufficiens sibi merces est, ex adverso vitium sua turpitudine sufficientem pœnam irrogat impiis: ergo saltem ex providentia, æquitateque Dei, præmia, vel pœnas decernentis minime consequitur, animam hominis destructo corpore superstitem futuram. *Confirm.* 1.*mo* Deus, ut dici, amat, *absolutus* mundi Dominus est: potest ergo neque merita servorum suorum compensare præmiis, neque etiam ulcisci eorundem scelera. 2.*do* Quodsi etiam bonos præmiis, malos pœnis adficere vult, potest illis in ipso vitæ exitu voluptatem, ac solatium longe maximum indulgere: his autem dolorem acutissimum, qui diuturnitatem acerbitate compenset, irrogare: ergo non est, cur animam humanam destructo corpore superstitem velit.

℞. *N. ant.* Nam imprimis Divinæ providentiæ est, ea meritis nostris præmia, vitiis autem pœnas constituere, quæ apta sint ad hoc, ut iis omnes universe homines invitentur ad sectandam vitæ honestatem, fugiendaque scelera, tametsi dein-

de aliqui malint genium suum sequi, quam vel hujusmodi incitamentis cedere. Sic Principes quoque terrestres pulchritudini virtutis, & turpitudini vitii jungere solent præmia, & pœnas: media de se apta continendis in officio subditis, tametsi perditi quidam ne his quidem moveantur. Jam vero quis existimet illud inesse momentum pulchritudini virtutis, vitiique turpitudini, quod spectatis hujus illiciis, ac illius arduitate de se aptum sit ad plerosque homines intra honestatis limites continendos? Deinde si res ita se haberet, uti objicitur; profecto iniquissimæ essent humanæ leges, quæ deprehensa crimina gravissimis pœnis mulctari volunt: scelerati enim jam ipsa flagitiorum suorum turpitudine condigne punirentur.

Ad Confirm. 1. *C. ant. N. cons.* Ex eo, quod Deus sit supremus mundi Dominus, consequitur quidem, eum ex justitia, ut ajunt, *commutativa* non obstringi ad reddendam nobis mercedem, postquam jussis ipsius paruimus; quia tamen simul summe justus, & providus mundi Gubernator est, hoc sane ex capite & meritis nostris condigna præmia, & peccatis supplicia decernere debuit; præsertim cum ita nos natura comparatos esse voluerit, ut spe felicitatis, quæ probos post mortem mansura sit, animaremur ad vitam honeste traducendam, & metu suppliciorum improbis irrogandorum à sceleribus absterreremur. Unde Tullius *Quæst. Tusc. l.* 1. *c.* 49. "Non „temere, inquit, nec fortuito sati, „& creati sumus; sed profecto fuit „quædam vis, quæ generi consule„ret humano, nec id gigneret, aut „aleret, quod, cum exantlavisset „omnes labores, tum incideret in „mortis malum sempiternum."

Ad Confirm. 2. Ajo, id non sufficere ad providam gubernationem. Nam exiguo tempore durans delectatio, aut pœna, utut intensa, non esset de se aptum medium universale, quo homines ad arduam virtutem arripiendam, aspernandasque vitiosas voluptates incitari possint. Deinde multi in ultimo vitæ exitu prolabuntur, multi tum demum ad frugem redeunt: quod igitur his præmium, illis supplicium decernetur, nisi post mortem sentiendum?

343 *Obj. contra* 5.*tam Propos.* 1.*mo* Mens humana nascitur cum corpore, cum eodem crescit, senescit; ergo etiam pereunte corpore perit. *Confirm.* Mens hominis est obnoxia ægritudinibus, ut dolori, tristitiæ &c. ergo non minus ac corpus in se ipsa continet principium interitus sui, consequenter non est natura sua immortalis.

℞. *D.* 1. *memb. ant.* Mens humana nascitur cum corpore hoc sensu, quod nonnisi tunc creetur à Deo, quum secundum legem in natura stabilitam est copulanda corpori, idque ita, ut non repugnet simpliciter, condi à Deo animam extra omne consortium corporis viventem *C.* secus *N. hoc memb.* Alterum autem, & 3.*tium antec.* membrum prorsus. *N.* Cum enim anima individua substantia sit, neque crescere, neque senescere (eo, quo Adversarii volunt, sensu) potest. Ea duntaxat, quæ ipsi ad agendum necessaria sunt, varientur; ut organorum dispositio, fibrillarum firmitas, & ad certas motiones habilitas: atque hinc promanat omne illud discrimen, quod videmus, si eam agendi habilitatem, quam quis e. g. in ætate virili habet, contendamus cum illa, quam habuit, dum adhuc primam ætatem egit.

Ad Confirm. C. ant. N. cons. Nam

ex eo, quod anima nostra dolori, tristitiæ &c. obnoxia sit, intelligimus quidem, illam non esse ens summe perfectum, ac proinde non existere absoluta necessitate (85. cor. 1.); non intelligimus tamen, eandem etiam natura sua ad corruptionem tendere: cum ne concipi quidem possit, qua ratione queat ens simplex vi doloris, tristitiæque interire. Aliter sentiendum est de corpore. Cum enim istud sit ens compositum; dissolutione partium interire potest (59. *Schol.*), quam in eo morbi, aliæque causæ naturales facile efficiunt.

Urg. Anima hominis sanari potest medicinis materiatis; nam sæpe ab amentia, in quam forte incidit, Medicorum ope liberatur: ergo actione causarum materiatarum lædi quoque, ac destrui potest.

℞. *N. ant.* Dum enim quispiam ab amentia liberatur, non anima ipsius, sed cerebrum sanatur. Nempe vi legum illarum, quibus Auctor naturæ animam corpori arctissime copulatam voluit, illa suis in actionibus ita dependet à motionibus cerebri, ut si hæ vi cujuspiam morbi perturbentur, etiam in anima perturbata cogitationum series enascatur. Quare ut sibi restituatur ejusmodi homo, qui delirat, sufficit, si cerebrum ipsius sanetur: quod medicinis corporeis sæpe fieri posse, in confesso est. Quemadmodum ergo manus scriptoris non dicitur, sanari, dum calamus, quo illa characteres rite efformare prius nequivit, reparatur: ita neque anima est dicenda sanari, dum cerebrum, cujus recta constitutione opus habet illa ad suas functiones rite peragendas, medicina materiata pristino vigori restituitur.

344 *Obj.* 2.*do* Si anima humana esset natura sua immortalis; id deduceretur potissimum ex eo, quem intimo sensu percipimus, veræ felicitatis adpetitu: atque inde deduci non potest; ergo anima humana non est natura sua immortalis. *Prob. min.* Etiamsi is adpetitus noster nunquam posset impleri, propterea nulla redundaret in Auctorem naturæ imperfectio: ergo ex eo adpetitu deduci nequit immortalitas animæ humanæ. *Prob. ant.* Varias adpetitiones habere solent homines, quæ impleri non possunt, quin propterea in Auctorem naturæ ulla redundet imperfectio; e. g. multi habent adpetitum maximarum divitiarum, vitæ longissimæ, constantis sanitatis &c. cui tamen adpetitui ut satisfiat, non est in ipsorum potestate: ergo similiter nulla in Auctorem naturæ redundaret imperfectio, tametsi ita essemus natura comparati, ut nunquam possit satisfieri illi nostro adpetitui, quo in veram felicitatem nostram ferimur.

℞. C. *maj. N. min.* Ad prob. *N. ant.* Ad hujus prob. C. *ant. N. cons.* Dispar ratio est. Nam dictæ adpetitiones, ut vitæ longissimæ, divitiarum &c. non induntur nobis à natura; secus eæ perinde inessent uni homini, ac alteri, quod tamen verum utique non est. Nempe priusquam veram felicitatem nostram consequamur, inquieti in illud inquirimus; ideoque ad quamcunque boni speciem veram vel falsam animo occurrentem inclinamur, putantes verum bonum nostrum ibi latere posse. Hinc tametsi etiam inmoderata e. gr. longæ vitæ adpetitio in nobis rè ipsa ex ipso naturali veræ felicitatis desiderio, velut ex radice profluat; non proflueret tamen, nisi eam ob defectum debitæ considerationis sub specie veri boni nostri nobis proponeremus. Nulla ergo potest in Deum redundare imperfectio, si ejusmodi desideria nostra impleri nequeant;

præsertim cum ejusmodi caducorum bonorum consecutione à vera felicitate nostra consequenda plurimum impediremur. Ex adverso veræ felicitatis adpetitus omni omnino homini communis, ab ipso Auctore naturæ proficiscitur; cui proinde si naturaliter satisfieri non posset, ea absurda consequerentur, quæ n. 337. adnotavimus.

Urgeb. 1. Adpetitus ille felicitatis, quem re ipsa à natura habemus, ad summum exigit, ut anima humana aliquo post destructionem corporis tempore conservetur: ergo naturalis animæ humanæ immortalitas ex eo adpetitu deduci adhuc non potest. *P. ant.* Quod nunc adpetamus *æternam* beatitatem, id inde solum provenit, quod ex revelatione Divina discamus, nos capaces esse beatitatis æternæ, eamque nobis à Deo præparari, si ad ejus præcepta vitam exegerimus; Gentiles autem, qui ratione naturali evincere conantur, veram felicitatem humanæ animæ competentem esse debere æternam, in eam cogitationem ideo duntaxat venerunt, quia in libris Moysis ea legerunt, quæ ipsis de beatitatis æternitate suspicionem moverint: ergo natura humana sibi relicta, omnique revelatione Divina carens nunquam sensisset adpetitum beatitatis *æternæ*: eo ipso autem ille, quem re ipsa à natura habemus, felicitatis adpetitus ad summum exigit, ut anima humana aliquo post destructionem corporis tempore conservetur. *Prob. ant.* Æternitas beatitatis animæ humanæ convenientis ratione naturali cognosci non potest: ergo quod nunc adpetamus *æternam* beatitatem, inde solum provenit &c. *Prob. ant.* Ratione naturali in præsente argumento non plus evinci potest, quam à justissimo providentissimoque naturæ Auctore debere animabus hominum destinari præmia quædam post dissipationem corporis impertienda, quibus sufficienter compensentur merita animæ, quæ posuit, dum corpori copulata fuit, quæve sint aptum medium, quo homines ad virtutem in vita colendam, vitandaque scelera incitentur: atqui præmia quædam ingentia, longissimoque tempore e. g. mille millionibus annorum duratura profecto sufficienter compensarent merita naturalia animæ humanæ, possentque esse sufficiens motivum, quo homines ad virtutem colendam, vitandaque scelera incitentur, præsertim si recogitarent, improbos ex adverso acerbissimis pœnis per longissimum itidem tempus cruciandos: ergo æternitas beatitatis animæ humanæ convenientis ratione naturali cognosci non potest.

℞. *N. ant.* Ad prob. rursus *N. ant.* & ajo: etiamsi omnis Divina revelatio abesset, tamen generica quædam notio *veræ* felicitatis animo nostro identidem occurreret, eaque occurrente necessarius veræ illius felicitatis adpetitus in nobis enasceretur. Sic nunc quoque non est sane ulla natio tam barbara, quæ adpetitum veræ felicitatis suæ non sentiat, utut omni revelatarum veritatum cognitione careat. Atque hujusmodi adpetitus naturalis, quoniam non potest exsatiari nisi bono æternum duraturo, jam evincit, ea lege fuisse humanam animam à sapientissimo naturæ Auctore conditam, ut ea ab eodem in æternum conservetur; idque dictus adpetitus sufficienter evinceret, etiamsi nunquam nobis incideret *reflexe*, veram felicitatem debere esse æternam. Porro etsi negare non possimus, multos Philosophos cognitione revelatarum veritatum fuisse non parum adjutos, ut de natura veræ felicitatis naturalis acutius, accuratiusque meditaren-

tur ; falsum tamen est, supra naturales ingenii humani vires esse, ut absque omni revelatarum veritatum cognitione agnoscere queamus, verum esse illud Tullii : *si amitti vita beata potest, beata esse non potest.* Unde in ulteriore prob. *N. ant.*

Ad ultimam prob. *N. maj.* Nam etiamsi Dei, merita nostra naturalia præmiare volentis, justitiæ satisfieret, si quædam ingentia præmia longissimo tempore nos manerent, & etiamsi eadem præmia sufficiens motivum nobis esse possent, ut virtutem colamus, scelera vitemus; attamen postquam constat, adpetitum veræ felicitatis esse nobis inditum ab Auctore naturæ, jure inferimus, id non posse cum infinita ejusdem sapientia cohærere, ut hoc non obstante nostras animas nolit esse capaces veræ felicitatis, ac proinde immortales. Deinde postquam idem naturæ Auctor communem naturæ sensum hominibus indidit de immortalitate animæ nostræ, ita ut præcipuum incitamentum, quo homines ad vitæ honestatem, vitandaque scelera moveri solent, sit universalis illa persuasio, quam de animæ suæ immortalitate habent, profecto rursus manifesta in eundem imperfectio redundaret, si communis hæc de naturali animæ immortalitate persuasio reapse falsa esset (340).

Urgeb. 2. Animæ humanæ proprietates non exigunt ejusdem creationem : ergo neque exigunt conservationem perpetuam. *Prob. cons.* Conservatio est continuata quædam creatio : ergo de conservatione animæ humanæ perinde sentiendum est, ac de prima ejusdem creatione.

℞. C. *ant.* *N. cons.* Dispar ratio est : nam proprietates animæ ante creationem sunt mere possibiles; res autem mere possibilis productionem sui exigere non potest, secus enim Deus ad res procreandas externa sibi ratione sufficiente determinaretur; quod tamen cum libertate ipsius non bene cohæreret. Contra eo ipso, quod decreverit Deus condere animam eo veræ felicitatis adpetitu, quem intimus noster sensus testatur, præditam, jam jure inferimus, ab eodem generalem naturæ legem de humanis animabus conservandis latam esse. Recole n. 337. Hinc ad prob. *C. ant.* & *N. cons.* Ceterum etiam quoad creationem animæ humanæ exstat aliqua naturæ lex à Deo libere lata ; nimirum vi cujus Auctor naturæ pro quolibet corpore humano rite organizato *aliquam* animam humanam condit.

345 *Obj* 3.*tio* Anima humana ipsa natura sua est forma corporis : ergo non secus, ac corpus est natura sua mortalis. *Confirm.* Anima humana naturaliter creatur; ergo etiam naturaliter destrui potest.

℞. *D. ant.* Anima humana &c. Id est, ipsa natura sua est habilis, ut copuletur corpori, & cum eo unum *per se* (36) constituat, exstatque præterea naturæ lex à Deo liberrime lata, vi cujus quævis anima humana initio existentiæ suæ alicui corpori copulari, cumque eodem, quamdiu illud rite organizatum manet, unum *per se* constituere debeat *C. ant.* Id est, anima humana ex ipsa essentia sua habet, ut nequeat existere, nisi sit forma corporis *N. ant.* & *cons.* Tametsi hac in Providentia exstet naturæ lex, vi cujus quævis anima humana initio existentiæ suæ alicui corpori copulari, cumque eodem, quamdiu illud rite organizatum manet, unum *per se* constituere debeat ; ea tamen lex ab Auctore naturæ liberrime lata est, ita ut potuisset is, si ita ipsi libuisset, aliam naturæ legem ferre, vi cujus anima humana extra omne

corporis consortium creetur, vivatque. Id quod vel è num. 328 patet.

Ad Confirm. C. *ant.* N. *cons.* Nam exstat naturæ lex, quam Deus libere sibi præstituit, ut, ubi adfuerit corpus humanum rite organizatum, creet aliquam animam humanam eidem copulandam: anima ergo humana juxta generalem quandam naturæ legem, ac proinde *naturaliter* à Deo creatur. Ex adverso non exstat naturæ lex, quæ exigat animam humanam à Deo annihilari post destructionem corporis; imo contrariam legem esse ab Auctore naturæ statutam evincunt argumenta, quibus Propositionem stabilimus. Unde non est verum generatim, omne id, quod naturaliter conditur, etiam posse naturaliter destrui.

346 *Obj.* 4.*to* Judicium de naturali animæ immortalitate non est ita universale, ut pro judicio à communi naturæ sensu proficiscente haberi possit: ergo saltem argumentum num. 339 adlatum naturalem animæ humanæ immortalitatem non evincit. *Prob. ant.* Olim multi cum Epicureis contrarium docuerunt; & recentius in America integri populi reperti sunt, qui prorsus ignorarunt animam humanam post dissolutionem corporis superstitem futuram esse, victuramque. Denique olim Philosophi etiam Christiani docuerunt, animam esse mortalem: ergo judicium de naturali animæ immortalitate &c.

R. N. *ant.* Ad prob. ajo: ut judicium quoddam haberi possit pro *universali*, seu tali, quod proficiscatur ab ea vi naturaliter nobis insita, quam *communem naturæ sensum* nuncupamus, non obest quorundam improborum (uti erant Epicurei) comparate ad eos, qui contrarium sentiunt, paucorum dissensio, uti patet ex iis, quæ *Log.* 171 dicta sunt: id quod in præsente argumento vel inde elucet, quod iidem illi improbi, qui contra communem omnium recta ratione utentium consensum animam humanam cum corpore interire contendunt, futilem suam argumentationem factis suis convellant, dum famæ, posteritatique student, scelerum conscientia misere divexantur &c. "Nec quemquam vidi (in»quit de Epicuro Tullius *lib.* 1. *de* »*nat. Deor. c.* 29.) qui magis ea, »quæ timenda esse negaret, ti»meret; mortem dico, & Deos." Unde etiam Epicurei, teste eodem Tullio, à doctissimo quoque contemnuntur.

Quod de quibusdam Americæ populis adfertur, nullo idoneo teste nititur, quin ex probatæ fidei Scriptoribus contrarium evincitur: quodsi etiam id de una, alterave natione cum veritate adfirmaretur; sequeretur solum, ejusmodi homines belluarum more viventes, corporeisque voluptatibus posita omni futurorum solicitudine penitus immersos ita à natura sua recessisse, ut in iis efficacitas communis naturæ sensus (quod evenire posse diximus *Log.* 171. *in resp. ad obj.*) fuerit omnino impedita. Quod autem attinet ad veteres illos Philosophos Christianos, quorum auctoritas postremo objicitur: ii, quoniam nequiverant intelligere, quo pacto spiritus cum corpore immediate uniri possit, Græcos secuti contendebant, substantia quadam quasi media inter spiritum & corpus opus esse, ut ea unio perficiatur: unde eam substantiam adpellabant spiritus *vehiculum*, item *animam* corruptioni obnoxiam, & reapse in morte perituram; at iidem spiritum ipsum, quem nos *animam* vocamus, natura immortalem esse omnino admiserunt. Doctrinam de vehiculo spiritus olim fere in communem omnium Philosophorum opi-

nionem abiisse testatur Plutarchus *lib.* 4. *de plac. Phil.*

347 *Obj.* 5.*to* Ex ipsis Divinis effatis aperte conficitur, animam hominis esse natura sua mortalem; nam 1.*mo* Ecclesiastis *cap.* 3. legimus. "Unus est interitus hominis, »& jumentorum & æqua utriusque »conditio." Item c. 9. "Mortui vero »nihil noverunt amplius, nec ha»bent ultra mercedem." 2.*do* Apostolus 1. *Tim.* 6. diserte fatetur, solum Deum habere immortalitatem.

℞. *N. adsert.* Ad prob. 1.*mam* ajo, Ecclesiastem iis locis in persona impiorum loqui, qui hujusmodi frivolis cogitationibus solentur se se, quo facilius excutiant metum futurorum suppliciorum. Sin autem interpretem S. Hieronymum audiamus, ibi est sermo de interitu corporis, dissolutioneque humani compositi, ex anima & corpore inter se unitis conflati. Certe sub finem ejusdem libri aperte stat Ecclesiastes pro immortalitate animæ; sic enim habet: "Ibit »homo in domum æternitatis suæ.— »Et revertatur pulvis in terram »suam, unde erat, & spiritus re»deat ad Deum, qui dedit illum."

Ad prob. alteram ℞. Apostolum eo loco de immortalitate essentiali loqui; vel, ut S. August. explicat, eodemque redit, illum vocabulo *immortalitatis* designare *incommutabilitatem.* Sic enim loquitur S. Doctor *Tract.* 23. *in Joan.* "Ubi, inquit, in»venitur aliter, & aliter, facta est »ibi quædam mors. Mors enim est, »non esse, quod fuit. Immortalis di»citur anima — & est in illa qui»dem vita permanens, sed mutabi»lis. Secundum mutabilitatem vitæ »hujus & mortalis dici potest.— »Quid ergo est, quod ait Apostolus »de Deo, *qui solus habet immortali»tatem?* nisi quia hoc aperte dixit: »*solus habet incommutabilitatem.*"

348 Pro reliquis objec. solv. notandum est I. Quod anima hominis plerumque horreat separationem à corpore, id non ideo accidit, quasi ipsius naturæ admonitione persuasum ei esset, se cum corpore simul interituram; sed quod incerta sit de futura vitæ suæ conditione, aut plane illam, scelerum suorum sibi conscia, omnino formidandam habeat. Certe animæ, quæ vitæ bene traductæ conscientiam habeant, adeo non reformidant mortem, ut dissolvi cum Doctore gentium optent etiam.

349 II. Impii illi homines, qui animæ immortalitatem negant, abuti solent auctoritate quorundam veterum Philosophorum, quasi ii quoque negassent animam humanam esse natura sua immortalem; cum tamen Philosophi illi nonnisi arbitraria Poetarum de futuro animæ statu figmenta rejecerint: quæ quidem ipse Cicero risit, utut de immortalitate animæ prorsus non dubitaret. "Sed ut Deos (inquit *lib.* 1. *Tusc.* »*quæst. cap.* 16.) esse natura opina»mur, qualesque sint, ratione cog»noscimus; sic permanere animos »arbitramur consensu nationum om»nium: qua in sede maneant, qua»lesque sint, ratione discendum est. »Cujus ignoratio finxit inferos, eas»que formidines, quas tu contemne»re non sine causa videbare."

350 III. Demum *quæres*, an Deus, saltem ut absolutus Dominus possit contra communem naturæ cursum agendo, annihilare animam humanam? ℞. neque absolutum Dei dominium potest exigere, ut is actionem infinitis suis perfectionibus oppositam exerceat: repugnat autem perfectionibus Divinis annihilare, animam adpetitu, veræ felicitatis præditam, & de sua immortalitate ipsius naturæ admonitione persua-

sam (337, & 339). Ceterum sunt, qui hac de re hoc fere modo ratiocinentur: tametsi manifesta in Deum redundaret imperfectio, si is, ut Auctor naturæ, non tulisset naturæ legem de perpetua conservatione animarum, nunc commemoratis adfectionibus præditarum; non redundaret tamen, inquiunt, si is ad ostendendum supremum suum dominium quampiam animam humanam contra communem naturæ cursum annihilaret. Non redundaret imprimis in eum ut naturæ Auctorem: tunc enim spectato communi naturæ cursu non esset superfluus veræ felicitatis adpetitus in ejusmodi anima, ac proinde neque esset Auctori naturæ vitio vertendus; quia eidem animæ possibilis esset spectato communi naturæ cursu vera felicitas, & ab eadem nonnisi per accidens impediretur. Non etiam redundaret imperfectio in Deum ut supremum creaturarum Dominum: Deus enim optimo fine ageret, si animam humanam adeo annihilaret contra communem naturæ cursum, ut supremum suum dominium, omnipotentiamque suam manifestet.

Schol. Ab animabus bestiarum non posse duci argumentum contra immortalitatem humanæ mentis, patebit ex iis, quæ ultim. hujus Dissert. cap. dicturi sumus.

§ IV.

Quæsita quædam ad naturam, & originem humanæ mentis pertinentia.

351 *Quæres 1.mo* An humana mens vitales suas functiones constanter & sine ulla intermissione exerceat? ℞. Eorum opinionem videri verisimiliorem, qui animam hominis functionibus vitalibus nunquam non occupari arbitrantur. Vita enim humanæ mentis in vitalibus ejusdem actionibus consistit; quandiu ergo vivit, semper agat aliquid, & moliatur, est necesse. Certe si certis duntaxat intervallis ageret mens nostra; emoreretur quodammodo, rursusque vitam recuperaret, quod non videtur verisimile.

352 Neque obest, quod earum actionum, quas vel in utero matris, vel somno sopiti exercebamus, non recordemur. Nam ex iis quoque actionibus, quas reapse exercuimus vigilantes, multarum non recordamur: cur ergo illæ quoque non potuissent ita obliterari, ut earum reminisci nequeamus?

353 *Quæres 2.do* An ejusdem speciei anima insit in omnibus hominibus? ℞. Non adesse ullam rationem sufficientem diversis hominibus diversæ speciei animas attribuendi. Illud enim discrimen propensionum, agendique habilitatum, quod in diversis hominibus observamus, provenire potest ex diversa corporum constitutione, educatione &c. Quemadmodum his è capitibus etiam in uno eodemque homine diversis temporibus diversi morum, agendique habilitatis status respondere solent.

354 De humanæ mentis origine variæ sunt Philosophorum opiniones. Erroneas hac super re sententias ad duo capita possumus revocare. Primus error eorum est, qui tenent, omnes hominum animas ab initio mundi conditas esse, priusquam corpora, cum quibus conjungantur, fuerint generata. Error hic cumprimis Pythagoræ tribuitur, qui præterea fertur admisisse etiam *metempsychosim*, seu transmigrationem animarum; id est, docuisse: animas hominum, & brutorum esse ejusdem naturæ, atque post mortem unius hominis animam separatam transire in aliud corpus huma-

num; imo sæpe ex humano corpore in corpus belluæ transmigrare. Quod deliramentum ut aliis quoque persuaderet Pythagoras; narrare solebat, se primum fuisse Æthalidem Mercurii filium, dein Euphorbum, postea Hermotimum, tum piscatorem quemdam Delium, nomine Pyrrhum, ac denique Pythagoram. Alter error eorum est, qui animas hominum *per traducem* propagari docent, ita nimirum, ut anima filii sit particula quædam ex anima parentis decerpta. Hinc

355 *Quæres 3.tio* An opinio Pythagoræ de origine, transmigratione neque animarum sustineri possit? ℞. Utramque opinionis hujus partem fabulam omnino esse, non sententiam Philosopho dignam. Nam imprimis, quo fundamento potest adserere Pythagoras, singulas humanas mentes jam ab ipso mundi exordio exstitisse? cur nullus alter præter ipsum meminit eorum statuum, quos obtinuerit, priusquam hoc corpus, quod nunc habet, adipisceretur? Unde etiam Concil. 5. œcumenicum *can.* 1. anathemate ferit eos, qui fabulosam animarum id genus *præexistentiam* adfirmare audent. Deinde quod ad metempsychosim attinet: hæc quoque figmentum est, nulli fundamento innixum; ac præterea orthodoxæ fidei aperte adversatur. Nam imprimis Divina fide certum est, mortuos omnes aliquando in vitam revocandos, singulasque animas suo in corpore gestorum suorum perpetua præmia, aut pœnas percepturas. Quodsi autem istud ita se habet, quodnam ex tot corporibus suis induet insulsa illa Pythagoræ anima? Deinde Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum aperte definit: "animam humanam "pro corporum, quibus infunditur, "multitudine singulariter multiplicabilem, multiplicatam, & multiplicandam." Quod profecto verum non esset, si eadem anima uno corpore privata in alterum transmigraret. Denique vel è parabola Divitis Epulonis *Luc. cap.* 16 patet, impios post mortem mox æternis addici suppliciis: prorsus ergo falsum est id, quod metempsychosecs Patroni somniant, nempe hanc esse pœnam vitæ sceleratæ, ut anima post mortem in vilius corpus, e. g. cujusdam bestiæ detrudatur.

Coroll. Iis ergo verbis, quæ *Gen.* 2. legimus, nempe "complevit Deus "die septimo opus suum, quod fece"rat, & requievit ab universo ope"re, quod patrarat" id solum significatur, quod nulla deinceps *nova* entium *genera* creaverit, aut creet Deus, non vero, quod nulla etiam nova *individua*. Atque D. etiam Augustinus hoc modo locum illum interpretatur *lib.* 4 *super Gen. ad. lit.* c. 12.

356 *Quæres 4.to* Quid de eorum opinione sentiendum sit, qui animas hominum *per traducem* propagari docent? ℞. Eam nulla ratione posse defendi: cum enim anima humana sit simplex, & individua substantia; profecto ab anima parentis nulla pars avelli potest, quæ surculi instar in filium transplantetur.

357 *Quæres 5.to* Quid igitur sentiendum est Philosopho de origine humanæ mentis? ℞. Maxime vulgata hodie sententia est, singulas animas creari, corpusculoque humano infundi tunc, cum istud in utero materno ad vitæ functiones aptum efficitur. Certe in ipsa etiam primi hominis productione prius fuit corpus efformatum à Deo, quam anima crearetur, *Gen.* 2. *v.* 7.

CAPUT QUINTUM.

De commercio animæ cum corpore.

§. I.

Quid de commercio animæ cum corpore sit sentiendum?

358 Nomine *commercii animæ cum corpore* venit arcta illa inter animam & corpus connexio, ac unio, qua fit, ut non tantum immutationibus, quæ in organis sensuum fiunt, certæ respondeant in anima adfectiones, sed etiam certas animæ adfectiones certi in corpore motus illico consequantur; ut quum vehementior animi concitatio in corpus ipsum redundat, quum membra nostra pro arbitrio movemus &c. Mirabile istud commercium omnium adhuc Philosophorum ingenia quam maxime torsit: tria sunt autem celebriora eorundem hoc in argumento systemata.

359 Primum systema est Cartesianorum, juxta quos commercium inter corpus & animam in eo duntaxat situm est, quod Deus, secundum certas leges sibi libere præstitutas, positis in humano corpore certis mutationibus certas ideas animæ ipse imprimat, & positis in anima certis adfectionibus, decretisque voluntatis certos in corpore motus producat: quin vel corpus in animam, vel anima in corpus quidquam agat. Hypothesis hæc vocatur *systema causarum occasionalium*, quod motiones corporis nonnisi *occasionem* Deo præbeant certas ideas imprimendi animæ, decreta vero humanæ voluntatis certos in corpore motus efficiendi. Solet etiam nominari systema *adsistentiæ*; quod juxta illud, corporis & animæ commercium in solius Dei utrique constanter *adsistentis* actionibus consistat.

360 Alterum est Leibnitzii, à Wolffio adoptatum, quod vulgo systema *harmoniæ præstabilitæ* audit, hisque tribus potissimum capitibus continetur. I. Opinione Leibnitzii anima hominis ingenita sibi efficacitate omnes actiones suas peragit, quin ullo modo dependeat ab impulsionibus in organa sensuum factis, aut à motionibus cerebri. Hinc juxta eundem omnes eas sensationes, adpetitiones &c. quæ in nobis enascuntur, haberemus, tametsi ab objectis externis nulla unquam in membris nostris commotio excitaretur; imo tametsi corpore prorsus careremus: seu ut Wolffius, alter hujus systematis parens docet *Psych. rat.* 614. "perceptiones, & adpetitiones in „anima eodem, quo nunc, modo „consequerentur, etiamsi corpus non „existeret." Nempe vult Leibnitzius perceptiones omnes *continua serie* produci ab anima ita, ut sequens animi status semper in antecedente habeat sufficientem sui rationem: unde etiam animam *automaton incorporeum*, & *spirituale* nominat.

361 II. Corpus humanum pro *automato materiali* habet Leibnitzius, cujus motiones omnes ex sola mechanica ejusdem structura proveniant, quin ad eas quidquam conferat anima. Hinc Wolffius *Psych. rat.* 637. "Archimedes, inquit, tam „sublimia inventa, quibus Geome„triam ditavit, in libris suis expo„suisset, librosque singulos eodem, „quo scripti sunt, modo scripsisset, „etiamsi nulla ipsi fuisset anima." Porro ut explicent hi Philosophi, qua tamen ratione possit evenire, ut diversa hæc automata, spiritua-

le videlicet, & corporeum, quorum alterum ab altero prorsus non dependeat, usque adeo conspirent suis in actionibus, ut e. g. eadem commotione recurrente in corporeis sensuum organis, constanter eadem perceptio in anima quoque enascatur, quæ primum ei commotioni respondit; docent Ill. id peculiari Dei providentiæ tribuendum esse: Deus, inquiunt, antequam dissimiles has naturas conjunxisset prænovit seriem mutationum, adfectionumque tam in anima, quam in corpore futurarum: cuivis ergo animæ conveniens corpus conjungere potuit, & re vera ut providus mundi Gubernator conjunxit etiam; in quo videlicet series motionum accurate semper congruat cum serie actionum illius; unde etiam hanc, quam inter corpus & animam ponunt, harmoniam dicunt esse *præstabilitam.*

362 Tertium denique systema est, quod *influxus Physici* solet nominari. Hujus systematis defensores docent, animam & corpus, naturas ceteroquin dissimiles, arcto quodam vinculo inter se copulari, ita ut factis in organa sensuum impressionibus, nervorumque ope ad cerebrum usque propagatis determinetur mens ad efformandas rerum notiones, & vicisim, suborta in anima cujuspiam membri commovendi voluntate, illico impellantur nervi, voluntariique motus in eo membro efficiantur. Iidem omnes universe censent, animam *movendi* facultate præditam esse, vereque agere in corpus; ita ut sæpissime in humano corpore inchoentur motus, ab ipsa animæ movendi facultate orti, sæpissime item ad arbitrium mentis extinguantur membrorum commotiones. At, quod attinet ad veram corporis in animam actionem, non æque consentiunt. Unde P. Hauser systema istud dividit in antiquum, & novum. "Antiquum, inquit *Psych.* 447. dici potest, quod admittit *mutuum* influxum physicum, ita ut anima vere agat in corpus, & vicissim corpus in animam. *Novum* tenet, animam vere, & physice in corpus agere: at negat physicam actionem corporis in animam."

363 Triplex istud systematum genus hac similitudine solet post Billebium illustrari. Fingamus animo duo horologia, quæ semper accurate omnino consonent: concordia hæc triplici ratione posset evenire. 1.*mo* Si adsit aliquis, qui adplicata constanter utrique horologio manu eosdem semper in utroque motus progignat. 2.*do* Si horologia illa ea accuratione efformet artifex, ut utrumque easdem leges ad amussim omnino suis in motibus sequatur, eademque initio motus ita dirigat, ut sibi mutuo respondeant. Tum enimvero ea harmonia continuabunt motus suos, ut nunquam dissentiant. 3.*tio* Denique, si eadem ita connexuerit artifex, ut alterum agat in alterum; idque vel mutuo, vel ex unica tantum parte. Primo casu systema causarum occasionalium; altero harmoniam præstabilitam; tertio denique influxum physicum exprimi, consideranti patebit.

364 Propositio I. Systema causarum occasionalium sustineri non potest. Nam I. juxta systema hoc anima careret vi ideas rerum ac perceptiones vere efficiendi, item movendi corpus. At inprimis volitiones, nolitionesque in nobis ipsa profecto mens vi sibi congenita efficit, secus enim minime gauderemus libertate, nec essemus digni laude, vel vituperio, ut nemo non videt: non est ergo, cur eidem vim ideas rerum efficiendi adimamus. Quæ enim ratio evincet,

vim ideas efficiendi esse superiorem iis facultatibus, quæ humanæ menti convenire possint, non item vim volitiones nolitionesque libere eliciendi? Deinde si à solo Deo efficiuntur in nobis ideæ rerum, cui usui est in corpore nostro tantus organorum adparatus; tam exquisita oculorum, aurium &c. ipsius denique cerebri structura? An forte censes Deum eo duntaxat fine tam artificiose construxisse corpus nostrum, ut nos mirifica hac ejusdem coagmentatione nosmet in rebus cognoscendis uti falso existimemus? Eodem modo, absque omni solido fundamento adimunt Cartesiani animæ vim movendi corpus.

365 II. Inter corpus & animam ejusmodi unio intercedit, vi cujus ex iis oritur compositum humanum, quod communi omnium consensione est una natura humana, unaque persona; unde etiam vulgo actiones nostras nec soli animæ, nec soli corpori attribuimus denominative, sed homini ex utroque coalescenti: sic enim loqui solemus: *homo sentit*, *homo loquitur* &c. Ergo inter corpus & animam vera unio physica, & non aliqua duntaxat moralis intercedit. Jam vero, uti recte ratiocinatur Leibnitzius, duo horologia, quæ nonnisi propterea consonarent, quod utrique constanter adplicata sit artificis manus, qua utriusque rotulæ eodem prorsus modo sine intermissione urgeantur, profecto hoc ex capite unita dici non possent; ergo neque mentem inter & corpus vera intercedet unio, quod Deus ita utrumque modificet, ut ipsorum modificationes congruant.

366 III. In hoc systemate intelligi non potest, cui usui sit anima in corpore. Adfectiones enim mentis perinde possent esse occasio motionum à Deo in corpore excitandarum, & vicissim, etiamsi mens à corpore omnino sejuncta existeret. Neque potest intelligi, qua ratione verum sit, corpus nostrum à mente, & non potius à solo Deo animari.

367 Propositio II. Systema harmoniæ præstabilitæ prorsus rejiciendum est. Nam I. ponamus, te in lexico quopiam oculis percurrere hæc vocabula: *Fulcrum*, *Fuligo*, *Fulix*, *Fulmen* &c. In Systemate hoc ratio sufficiens, cur eo casu ideam fulcri proxime consequatur in mente tua idea fuliginis, hanc idea fulicis, fulminis, non potest inde repeti, quod post vocem *fulcrum* vocem *fuligo* exhibeat oculis tuis lexicon, tum voces *fulix*, *fulmen*; sed ex ipsa animæ natura deberet proficisci, ut hæ ideæ, etiam non inspecto, imo ne existente quidem lexico, nunc in te hoc eodem ordine enascantur (360.): atqui, præterquam quod istud enorme commentum sit, hinc aperte sequeretur, omnes animæ actiones esse prorsus necessarias, utpote quarum ratio sufficiens in ipsa animæ natura contineatur; adeoque systema hoc cum libertate nostra non cohæret.

368 II. Juxta systema hoc Archimedes egregia illa inventa sua, quibus Geometriam illustravit, in suis libris eo prorsus modo, & ordine posteritati transcripsisset, quo reapse transcripsit, tametsi nulla ipsi fuisset anima; quemadmodum ultro fatetur Wolfius (361.): Cl. P. Fortunatus a Brixia tam nervose, prolixeque refutasset hoc ipsum harmoniæ præstabilitæ systema, ac reapse refutavit *Met. part.* 2. *sect.* 3. tametsi de systemate hoc nihil unquam audivisset, cogitavissetque; quin tametsi istud nec fuisset unquam à Leibnitzio, aut ullo alio excogitatum &c. atqui hæc & id genus alia prorsus absurda, temereque conficta esse, nemo non videt.

369 III. Systemate hoc non explicatur animæ cum corpore copulatio. Utar ipsius Leibnitzii argumento, quo is Cartesium impetit (365.), paululum immutato. Duo horologia, quæ nonnisi propterea consonarent, quod ea accuratione sint ab artifice efformata, ut utrumque easdem leges ad amussim suis in motibus sequatur, profecto hoc ex capite unita dici non possent: ergo neque mentem inter & corpus vera intercedet unio, si citra ullam connexionem mutuam series motionum, adfectionumque in utroque congruant.

370 Propositio III. Systema influxus physici, tametsi non careat difficultatibus, defendi tamen potest. Nam imprimis tametsi arduum esset dicere; corpus vere agere in animam; dicendum tamen est, saltem ea lege stabilitam esse à Deo mentis & corporis unionem, ut positis in corpore certis motionibus anima illico determinetur ad perceptiones rerum, quæ motionibus illis congruant, in semetipsa efformandas. Vim enim ideas efformandi animæ attribuendam esse, n. 364. probavimus: ad has vero efformandas eandem impulsionibus in organa sensuum factis, opeque nervorum ad cerebrum usque propagatis determinari, vel inde patet, quod pro varia corporis mutatione mens vario modo adficiatur. Deinde animam vere agere in corpus, non est, cur in dubium vocemus. Denique hoc systemate veram corpus inter & animam unionem, commerciumque rite explicari, nemo non videt.

---

§. II.

Respondetur ad objectiones, contra systema influxus physici poni solitas.

371 *Objic.* 1.*mo* Anima humana nullum motum producit in corpore: ergo systema *physici influxus* defendi non potest. *Prob. ant.* Si quem produceret, tunc produceret eum, quem habemus, dum e. g. celerrime currimus: atqui hunc producere nequit; secus enim toto vitæ tempore iisdem currendi viribus polleremus, cum anima in se iisdem semper viribus prædita sit.

℞. N. *ant.* Ad prob. *D. maj.* Tunc produceret eum &c. ita ut tota motus quantitas, quam currentes habemus, eo sensu indatur ab anima corpori nostro, quo sensu corpori cuipiam quiescenti communicatur ab altero incurrente tota illa motus quantitas, quam illud per conflictum acquirit *N. maj.* ita, ut dicta nostra motus quantitas ab anima sumat initium, tametsi deinde ipsi mechanicæ corporis nostri structuræ sit potissimum tribuenda *C. maj.* sic *dist. min. N. cons.* Anima quodpiam corporis membrum commovere volens plus præstare non habet necesse, quam ut extremitates nervorum in cerebro terminatorum certa ratione commoveat: reliquus motus ipsa mechanica corporis structura, motuisque partium rite dispositarum viribus perficitur. Unde patet, cur toto vitæ tempore iisdem corporis viribus non polleamus. Nempe machina corporis nostri non est toto vitæ tempore semper eodem modo habilis ad eos motus, qui post impulsionem nervorum, ab anima factam, è mechanica ipsius structura consequi deberent.

Urg. 1. Anima ignorat nervorum,

musculorumque structuram in corpore nostro; igitur non potest machinam corporis nostri ad varios motus determinare, e. g. ad incedendum, vel loquendum.

R. *D. ant.* Anima ignorat &c. ipso tamen usu comperit, certas membrorum commotiones solere consequi, prout ipsa se huc, aut illuc convertit *C. ant.* secus *N. ant.* & *cons.* Ignoras, quæ sit interna structura cujuspiam artificiosi fontis salientis; si tamen usu ipso didicisti, jam hanc, jam illam statuam copiosas aquas egesturam, modo hunc aut illum asserculum pede premas; profecto in tua erit potestate, ut hinc, aut illinc aqua erumpat. Quare anima quoque potest machinam corporis nostri regere, quin hujus structura penitus ipsi perspecta esse debeat.

Urg. 2. Inter causam & effectum debet intercedere proportio: sed inter vires animæ & inter motiones corporeas non intercedit; ergo motiones corporeæ nequeunt esse effectus virium animæ. *Confirm.* Si anima in corpus ageret, etiam corpus vicissim vere ac proprie deberet agere in animam: atqui istud alterum non admittitur; ergo neque animæ in corpus actio potest admitti. *Prob. maj.* Juxta generalem naturæ legem, actioni semper æqualis & contraria est reactio (176.): ergo si anima in corpus ageret &c.

R. *D. maj.* Inter causam & effectum intercedere debet proportio quædam *geometrica*, vi cujus majori virium contentioni major, minori minor effectus certa ratione respondeat *C. maj.* Debet intercedere proportio, si hoc vocabulo designes duarum rerum convenientiam in genere, aut in specie *N.* veram esse universe *majorem.* Sic *dist. min. N. cons.* Si *inter causam & effectum proportionem intercedere debere.* Adversariis tantumdem significet, ac: causam, & effectum semper ejusdem generis, aut speciei esse debere, ita e. g. ut *spiritus* nonnisi *spirituales* modificationes queat efficere, non item *corporeas*; adsertum suum profecto non poterunt comprobare.

Ad Confirm. N. maj. Ad prob. *D. ant.* Actioni semper æqualis, & contraria est reactio, inter duo quævis corpora *C. ant.* etiam inter spiritum & corpus *N. ant.* & *cons.* Lex illa generalis, quam num. 176 pertractavimus, inter corpora vigere omnino deprehenditur, non item æque inter corpus & animam. Ceterum quamvis corpus non agat in animam, fieri tamen potest, ut actione animæ nunquam turbetur in ipsis corporibus generalis lex actionis & reactionis: fieri enim potest, ut nunquam ab anima producatur motus in uno materiæ puncto, quin in alio aliquo æqualis motus in contrariam partem producatur.

372 *Obj.* 2.*do* Juxta systema influxus physici mens nostra deberet gaudere vi ideas rerum in se ipsa efformandi: atqui hac vi gaudere non potest; ergo sistema influxus physici sustineri nequit. *Prob. min.* Mens nostra nequit ideam, seu imaginem objecti cujuspiam in se ipsa efformare, priusquam objectum illud cognoscat: cum ergo cognoscere quodpiam objectum tantundem sit, ac ejusdem ideam menti obversari; si mens nostra posset ipsa sibi efformare rerum ideas, has efformaret, postquam jam illas haberet: atqui istud absurdum est; ergo mens nostra non potest gaudere vi ideas rerum in se ipsa efformandi. *Prob. ant.* Pictor nequit expingere effigiem animalis ignoti, seu cujus ideam nondum habet: ergo similiter.

℞. C. *maj.* N. *min.* Ad prob. N. *ant.* Ad hujus prob. C. *ant.* N. *cons.* Dispar ratio est. Pictori enim prævia animalis notione destituto non adest quidquam, quo manus ipsius in expingenda ejusdem effigie regatur: contra mens nostra ita comparata est, ut præsentes sibi motiones cerebri, juxta statutas ab Auctore naturæ leges, pro ipsis rerum extra nos positarum qualitatibus habeat, ac proinde ut excitatis cerebri motionibus ad ipsas externas res sibi repræsentandas satis determinetur. Ceterum pictor quoque multas res expinget, quarum nullam prius notionem habuit, modo manus ipsius alieno ductu ad pingendum determinetur.

Urgeb. 1. Positis motionibus cerebri, seu ideis materialibus, non determinatur mens ad easdem motiones percipiendas; ergo neque determinatur ad percipiendas res externas. *Prob. ant.* Si mens dictas cerebri motiones perciperet; ejus perceptionis conscii nobis essemus, sciremusque, quæ cerebri pars, quove pacto moveatur: atqui ejus perceptionis prorsus non sumus nobis conscii, neque scimus, quo pacto eæ motiones peragantur; ergo positis motionibus cerebri &c.

℞. D. *ant.* Non determinatur mens ad easdem motiones clare & distincte percipiendas C. *ant.* non determinatur ad easdem motiones obscure percipiendas N. *ant.* & *cons.* Ad prob. D. *maj.* Si mens dictas cerebri motiones *clare* & *distincte* perciperet, ejus perceptionis conscii nobis essemus C. *maj.* Si *obscure* duntaxat perciperet, confunderetque cum perceptione ipsius objecti, ejus perceptionis conscii nobis essemus. N. *maj.* C. *min.* & similiter D. *cons.* Sensatio reapse non aliud est, quam perceptio motionis ab objecto externo in organis excitatæ, & ope nervorum ad ipsam animæ sedem propagatæ; sed eam motionem mens nostra non contemplatur ut adfectionem cerebri, sed ut imaginem, ac velut nuncium objecti externi: unde etiam perceptio ideæ materialis, quatenus est motio, obscura est, confunditurque cum perceptione ipsius objecti, pro cujus qualitate mens ipsam habet. Porro cur providentissimus naturæ Auctor hujusmodi lege voluerit animam copulari corpori, colligitur ex fine, in quem sensus nobis ab eodem benignissimo Numine sunt concessi. Si enim dictis cerebri motionibus contemplandis occuparetur anima; ad res ipsas externas, quarum tamen percipiandarum gratia sensibus instructi sumus, minus adverteret, quam vitæ nostræ rationes exigant.

Urgeb. 2. Atqui positis motionibus cerebri non potest determinari mens ad externa objecta clare percipienda, nisi prius ipsas quoque motiones clare percipiat; quod sic *probo.* Ad hoc, ut intelligamus, quid alter nobis loquatur, necesse est, ut vocabula ab eo prolata distincte percipiamus: ergo similiter.

℞. N. *subs. min.* Ad prob. C. *ant.* N. *cons.* Dispar ratio est; vocabula enim nullum nexum naturalem habent cum rebus, quas significant, sed suam vim significandi à libera hominum institutione habent, ac proinde sunt signa mere arbitraria; porro ad hoc, ut signum arbitrarium ideam significati sui in mente excitet, profecto necesse imprimis est, ut generatim sciatur, hoc signo hanc rem solere significari, deinde ut in casu singulari signum illud percipiatur ita, ut ab omni alia re probe discernatur. Contra ex ea lege, qua Auctor naturæ animam corpori copulavit, ita connec-

tuntur motiones cerebri cum perceptionibus externorum objectorum, ut iis positis has in nobis illico excitari sit necesse.

Urgeb. 3. Motiones cerebri sunt motiones locales; ergo non possunt in anima excitare ullam sensationem.

℞. *C. ant. D. cons.* Ergo non possunt ullam in anima sensationem excitare, eam proprie efformando, animæque veluti imprimendo *C. cons.* non possunt excitare, quandam externi objecti imaginem exhibendo, in qua mens juxta leges ab Auctore naturæ statutas ipsum externum objectum illico contemplari possit, ac debeat *N. cons.* Motiones cerebri, tametsi nullam possint in anima sensationem excitare, eam proprie efformando, efficiendo, animæque veluti imprimendo; possunt tamen quandam externi objecti imaginem exhibere, qua habita mens *ex lege unionis* ad ipsum externum objectum percipiendum determinetur ita, ut motiones illas non tanquam adfectionem cerebri, sed tanquam ipsas externi objecti notas, ac characteres contempletur.

Urgeb. 4. Juxta systema influxus physici motiones cerebri saltem determinare deberent mentem ad efformandas in se ipsa rerum externarum perceptiones: atqui motiones cerebri ne istud quidem possunt præstare; quod sic *probo*. Motus nonnisi motum, & quæ motu perficiuntur, generare potest: atqui determinare mentem ad efformandas rerum perceptiones plus est, quam motum generare; ergo motiones cerebri nequeunt determinare mentem ad efformandas in se ipsa rerum externarum perceptiones.

℞. *D. maj.* Determinare deberent &c. quidpiam in anima producendo, positiveque efficiendo *N. maj.* instar cujusdam *requisiti* ex lege unionis necessarii complendo actum primum proximum facultatis sentiendi, quo completo mens objecti externi imaginem in se ipsa efformare, utpote necessaria in cognoscendis rebus potentia, debeat *C. maj.* Sic *dist. min. N. cons.* Motiones corporeæ non determinant animam ad perceptiones, in ea quidpiam efficiendo, uti e. g. lapis dicitur ad motum determinari impressa ipsi quadam celeritate: determinant tamen eatenus, quatenus iis positis completur actus primus proximus facultatis sentiendi, quo completo anima ex lege unionis possit, ac debeat res externas percipere; vel potius occasionem præbent animæ, ut ea ipsa se se ad efformandas rerum externarum perceptiones determinare, id exigente unionis lege, possit, ac debeat.

Ad prob. *C. maj.* At ajo, in *minori* falso supponi, quod motiones cerebri animam quadam sua in eam actione determinent ad res externas percipiendas. Ea determinatio ex lege unionis provenit, uti superius explicatum est, quin motiones illæ vim ullam exerere in animam debeant.

373. Pro reliquis, quæ huc pertinent, intelligendis nota I. Cum sensationes re ipsa non in membris externis, sed in ipso cerebro peragantur (229.); inferre sane licet, animam in cerebro residere: ea enim ibi utique residet, ubi sentit. Cerebrum esse pro sede animæ habendum, inde quoque colligere licet, quod omnes nervi (præcipua sensationum instrumenta) in eo colligantur. At per totum cerebrum, aut per dividuam aliquam ejus partem esse animam quodammodo diffusam, non videtur verisimile. Secus enim ea in quolibet ejus spatii puncto existeret tota, adeoque animæ existendi modus infinitis replicationibus æquiva-

leret. Jam vero mirabilem hunc existendi modum (id est, extensionem *virtualem*) quo fundamento attribuimus animæ, ubi constat simplicem replicationem nonnisi supernaturaliter esse possibilem? An quia ea secus non posset machinam corporis nostri regere? At varii concipi possunt modi, quibus anima, utut unico duntaxat individuo loci puncto contenta, id præstare queat. Nempe 1) tametsi, quamdiu organorum dispositio ad vitam necessaria perdurat, anima ex lege unionis debeat in ea cerebri parte residere, in qua *commune sensorium* (232) est; forte tamen ea in ipso communi sensorio non est ita alligata cuidam puncto, ut non queat jam ad unius, jam ad alterius nervi extremitatem accedere, quæ commovenda sit, ut hic vel ille in corpore motus oriatur. 2) Neque eorum hypothesis videtur impossibilis, qui ponunt, animam cum uno quopiam cerebri puncto materiæ compenetratam esse, illudque, cum se ipsam movet, una movere. Qua in hypothesi, quamprimum anima se ipsam moveret, mutaretur distantia illius materiæ puncti comparate ad alia proxime vicina; quæ proinde ad motum concitarentur: qui motus deinde ulterius ad ipsos nervos, ac musculos propagari posset. Denique 3) forte neque id repugnat, ut anima nervos, etiam intervallo aliquo à se distantes ad motum determinet.

374 II. Duæ anteriores cerebri partes sunt duo veluti hemisphæria, quod proprie *cerebrum* est: his accumbit ex parte postica quasi novum, & singulare cerebrum, quod ab Anatomicis *cerebellum* nuncupatur. Duo cerebri hemisphæria junguntur una eademque basi, corpore candido, ac duriusculo, quod propterea *callosum* audit. Atque in hoc collocandam animæ sedem opinantur multi.

375 III. Vitales corporis nostri motus à sola mechanica ejusdem structura pendere videntur: at animales ab anima ortum ducunt. Habemus autem & liberos, & necessarios motus animales: " & sæpe fit, "(inquit Boscovichius) ut aliquis "apoplexia ictus amittat omnem, "saltem respectu aliquorum mem-"brorum facultatem liberi motus; at "necessarios, non eos tantum, qui "ad nutritionem pertinent, & à sola "machina pendent, sed & eos, qui-"bus excitantur sensationes, re-"tineat."

CAPUT SEXTUM.

De idearum origine, ac natura.

376 Vim ideas rerum efformandi competere animæ nostræ, num. 364. probavimus. Porro quatuor sunt genera notionum, quas inesse in nobis, testis est conscientia: videlicet 1) rerum sensibilium, nobis præsentium, sensuumque organa pervellentium; 2) sensibilium absentium, ac proinde quæ sensus nostros in præsentia non adficiunt; 3) insensibilium sub imagine corporea repræsentatarum; 4) denique insensibilium, citra omnem corpoream imaginem perceptarum.

377 Jam primi generis ideas *sensu*, seu dependenter ab impressionibus in organa sensuum factis; ideas autem 2.*di* generis *phantasia* seu dependenter à quibusdam motionibus in cerebro renovatis efformari à mente, ex hactenus dictis patet. Tertii quoque generis ideas ope phantasiæ posse efformari, palam est: si nempe imaginem corpoream, quam imaginando effingimus, ejusmodi rei,

quæ in sensus nostros incurrere non potest, attribuamus.

378 Quod ad postremi generis ideas, nempe rerum insensibilium citra omnem corpoream imaginem perceptarum, attinet: has *attentione, reflexione, ratiocinio, abstractione* &c. erui à mente, facile quisque videt, si rem tantisper attentius considerет. Unam, alteramque illarum vocemus in examen; nominatim ideam *Dei*, tum ideam communem *hominis*. 1.*mo* Notio Dei, quam habemus, profecto ope ratiocinii, abstractionis &c. efformatur à nobis. Nempe postquam è contemplatione mundi aspectabilis ratiocinando detegimus, exstare quodpiam ens, absolute necessarium, omnique possibili perfectione præditum; eas perfectiones, quas in rebus creatis observamus, ab his quodammodo abstractas, collectasque concipimus: tum semotis, quæ iis admista sunt, vitiis, easdem in immensum augemus, ac ideam hujusmodi notis constantem Deo attribuimus. 2.*do* Qua ratione efformetur à nobis communis notio hominis, eleganter explicat Cl. Huetius *Censur. Philos. Cartes. cap.* 3. " Animus, » inquit, in rebus multis idem quidpiam animadvertens, excerpit illud è multis, in quibus fuerat dispersum, & in unum colligit; atque inde ideam universalem conflat. Velut in Petro, & Joanne, alisque hominibus singulis deprehendens, eos esse animalia ratione prædita, jam neque Petrum, neque Joannem, neque ullum singularem hominem spectans educit illud, & componit in unum, quod multiplex fuerat, ac generalem, & universalem conflat, & confingit ideam, sibique commendat, omnem hominem esse animal rationale."

379 Quidam cum Cartesio contendunt, quasdam rerum ideas menti nostræ insitas, ac *innatas* esse. Qui quidem *ideas innatas*, quas propugnant, nequaquam possunt sumere pro *actualibus* rerum notionibus, perceptionibusque, quæ cum ipsa mente nostra natæ sint, constanterque in eadem perseverent. Quis enim, nisi temere, repugnanteque intimo sensu, dicat, se jam à primo vitæ suæ momento constanter occupari contemplatione id genus objecti, cujus ideam nobis innatam esse contendunt Cartesiani? Cujusmodi objecta cumprimis volunt illi esse *Deum*, *ens*, *substantiam*, *veritatem*, *unitatem*, *axiomata* &c.

380 At iidem à vero aberrant, etiamsi ideas innatas juxta communiorem ipsorum sententiam usurpent pro quibusdam rerum imaginibus, & formis, quæ ab ipsis rerum perceptionibus distinctæ sint, animisque nostris ingenitæ. Nam vel omnium rerum, quas aliquando percepimus, aut percepturi sumus, formæ congenitæ essent menti nostræ, vel aliquarum duntaxat? Si primum? cur, si rari cujuspiam animalis spectandi gratia quoquam vadas, genuinam ejus imaginem, utut jam dudum menti tuæ impressam, non prius potes tibi præsentem sistere, quam animal illud oculis tuis objiciatur? Innata, inquis, illa forma excitari primum debet impressionibus, ab eo ipso animali in oculos faciendis. At qua ratione possunt ideæ incorporeæ motibus corporeis excitari? aut si istud motiones corporeæ præstare possunt, cur non posset mens iisdem positis ad dictam ideam efformandam determinari? cum præsertim vim ideas rerum effingendi in eadem negari non posse jam superius n. 364 comprobaverimus. Plura alia sunt, quorum ne verisimilem quidem rationem unquam reddes, si omnes ideas nostras

nobiscum natas esse dicas; e. g. cur idem objectum sensibile pro diverso ipsius comparate ad nostros oculos situ, distantia &c. diverse à nobis percipiatur? cur idem cibi genus in juventute eidem homini sapiat, dissipiat in senectute &c. An forte putas, diversas ejusdem rei non variatæ formas esse nobis à Deo impressas? &c.

Quodsi autem aliquarum duntaxat rerum ideas existimes nobis innatas esse; præter has erunt aliæ veluti peregrinæ, & adventitiæ; unde vero illæ? si à Deo? quam sufficientem rationem adferes, cur non censeas potius, aut has cum prioribus illis, juxta te *innatis*, simul ipso creationis momento fuisse à Deo nobis inditas, aut illas cum his sensim, prout usus postulat, ab eodem Deo menti nostræ inprimi. Sin autem ideas ab innatis distinctas ipsa mens sibi efformat, cur non posset illas quoque efformare, quas nobis congenitas esse vis? nonne ideam Dei, quam cumprimis innatam nobis esse contendis, ope ratiocinii, abstractionis &c. à nobis efformari posse, vidimus n. 378? Deinde si ideæ nostræ partim innatæ, partim adventitiæ sunt, cur quæso adventitiæ, quæ e. g. oculorum ope acquiruntur, quamprimum menti præsentes fiunt, etiam à parvulis illico percipiuntur, innatæ vero, ut idea Dei, primorum principiorum &c. nonnisi ætate jam maturiore, idque per intervalla duntaxat, solent à nobis percipi, tametsi in mente nostra nunquam non adesse ponantur?

381 *Confirm.* Formæ illæ rerum, quas nobis ingenitas esse contendunt Adversarii, imprimis nequeunt esse motiones quædam corporeæ, e. g. cerebri: deinde non possunt esse quædam modificationes ipsius mentis; in hac enim alias modificationes, quam transeuntia potentiarum exercitia, utut vim tibi velis inferre, omnino fingere non potes: igitur non erunt aliud, quam *entitates* illæ Peripateticorum, quas accidentia *absoluta* nominant: atqui has melior philosophandi ratio hodie contemnit; igitur innatas quoque ideas rejiciat, est necesse.

382 *Obj.* 1.*mo* Idea Dei non potest efformari ex ideis rerum creatarum; ergo innata sit, est necesse. *Prob. ant.* Idea Dei in nobis est perfectior omnibus rerum creatarum ideis; ergo non potest efformari ex ideis rerum creatarum. 2.*do* Innata est nobis propensio ad vitam tuendam, amor famæ & honoris &c. ergo etiam ideæ eorum objectorum, in quæ hujusmodi adpetitionibus ferimur, innatæ nobis sint, oportet. 3.*tio* Catuli bestiarum, ut primum editi sunt, ubera materna adprehendere, & ex iis lac sugere solent; ergo iis ingenitæ sunt ideæ uberum maternorum, lactis, modique sugendi; ac proinde non est, cur non credamus, infantibus quoque ideas quasdam esse congenitas. 4.*to* Prima principia, seu axiomata ipso lumine naturæ nobis nota sunt; quod tantundem videtur significare, ac eorundem notiones nobis esse ingenitas.

℞. *Ad* 1.*mum N ant.* Ad prob. *D. ant.* Idea Dei *objective*, ut ajunt, considerata perfectior est in nobis omnibus rerum creatarum ideis *C. ant. subjective* spectata *N. ant.* & *cons.* Objectum dictæ ideæ est ipse Deus; adeoque si idea illa consideretur *objective*, omnino perfectior est omnibus rerum creatarum ideis: at non item, si spectetur in se ipsa, seu *subjective*; nam sicut hæ, ita illa etiam non aliud est, quam modificatio quædam animæ nostræ. Imo hæ eo ex capite illi etiam præstant, quod objecta sua longe clarius, per-

fectiusque exprimant, quam illa Deum. Unde prorsus non est, cur à mente nostra nequeat imperfecta illa, quam habemus, idea Dei efformari. Deinde ut eadem ex ideis rerum creatarum eruatur; plus non requiritur, quam ut rerum creatarum perfectiones à suis individuis abstrahantur, semotisque imperfectionibus, in immensum augeri concipiantur; quod cur mens nostra præstare nequiret, equidem non video.

Ad 2.dum. N. ant. Nam ejusmodi inclinationes, adpetitionesque non alio sensu possunt innatæ nuncupari, quam quod natura sic comparati simus, ut adprehensa bonitate, quæ in ideis vitæ, honoris, famæ &c. relucet, ad hæc adpetenda facillime impellamur.

Ad 3.tium C. ant. N. cons. Illæ enim catulorum actiones proficisci possunt ab internis motibus, quibus fames & sitis conciliari solet; utut modum, quo id fiat, clare & distincte nequeamus comprehendere. Nihil enim vetat dicere, animalcula illa sic esse comparata providentissimi Numinis dispositione, ut ubi fauces eorum molestis id genus motibus vexantur, oriantur in ipsis eæ ipsæ ideæ, quas Adversarii eisdem innatas esse volunt. Ceterum utcunque istud se habeat in bestiarum catulis; profecto infantes nulla id genus indicia præbent, è quibus vel leviter conjicere possis, eosdem innatis quibusdam ideis instructos in lucem edi. Hi enim fame prius peribunt, quam ubera materna arripiant; ut adeo eadem illis vel invitis in os ingeri debeant, lacque instillari, dum aliquam harum rerum ideam consequantur. Unde catulorum exemplum nos de humanis ideis agentes prorsus non premit.

Ad 4.tum Ajo, phrasi huic: *axiomata lumine naturæ nota sunt*, non alium subesse sensum, quam eorum veritatem tam esse apertam, ut solis terminis rite adprehensis, modicaque attentione adhibita ab omni, qui rationis usu præditus sit, intelligi queat, quin ratiocinationum, quæ aliis magis notis principiis innitantur, ambages in subsidium vocare sit necesse. Unde patet, ne axiomatum quidem notiones esse nobis innatas, verum attentione comparari.

383 Demum ex iis quoque Philosophis, qui omnes rerum *ideas* ab ipsa mente nostra efformari docent, arbitrantur nonnulli, ideam cujuspiam objecti ab ejusdem perceptione in nobis reapse distingui. Censent enim, mentem habito rei phantasmate non posse illico determinari ad eandem percipiendam, sed esse necesse, ut prius mens ipsa dependenter à phantasmate sibi efformet, incorpoream ejus rei imaginem, seu ideam, qua deinde ad perceptionem ejusdem determinetur. At imprimis ideam in mente existere profecto non aliud est, quam rem à mente repræsentari; istud vero tantundem reapse est, ac: rem illam à mente percipi: ergo adesse in mente ideam rei cujuspiam est adesse in mente ejusdem rei perceptionem; hoc est, una eademque mentis adfectio est & idea rei cujuspiam, & perceptio. Deinde si juxta Adversarios habito phantasmate potest mens primum determinari ad effingendam ideam, seu imaginem incorpoream objecti, tum ad ejusdem perceptionem; cur, quæso, eodem phantasmate habito non posset determinari illico ad eam sui ipsius adfectionem, quæ simul sit & idea, & perceptio rei? Denique idea, quæ à perceptione distincta sit, haud esset aliud, quam accidens quoddam *absolutum*; quod tamen acci-

dentium genus jure commentis accensent hodierni Philosophi.

Coroll. Igitur inter perceptionem rei, ejusque ideam nonnisi distinctio rationis intercedit. Nempe una eademque individua mentis, objectum quodpiam contemplantis, adfectio potest referri & ad mentem ipsam, quatenus hæc ejus ope objectum cognoscit, & ad objectum, quatenus illa hujus imago est. Adfectio illa priore modo considerata *perceptionis*; altero autem modo considerata *ideæ* nomen apud nos obtinet.

CAPUT SEPTIMUM.

De animabus bestiarum.

§ I.

An, & qualis anima insit in bestiis?

384 Cartesius, ejusque asseclæ bestiás volunt esse mera *automata*, seu machinas Divino artificio ita constructas, ut omnes earundem actiones vi solius structuræ mechanicæ absque ulla id genus anima, quæ cujuspiam cognitionis capax sit, peragantur. Audiamus eosdem philosophantes. Pastor quidam, ut narrat auctor de sermone brutorum, à viatore monitus, ut sibi, gregique suo à lupo non procul excubante caveret, respondit, nullum imminere periculum gregi, quamdiu canes penes se contineret; sin autem eosdem emitteret adversus lupum, quem viator vidisset, mox adfuturum prædonem alterum, qui non nihil remotius in insidiis staret. Istud experiri volens viator, damnum, quod accideret, suum fore pollicetur, modo canes emittantur. Obtemperat pastor; at ubi canes in lupum jam diu conspectum effusi longius à grege recedunt, adest lupus alter, ovemque secum abstrahit.

Scena hæc Cartesianorum opinione hoc modo peracta est. Effluvia, inquiunt, gregis utramque lupinam machinam ad accessum determinarunt; pro varia tamen machinarum constitutione alter luporum non procul in conspectu gregis, alter paulo remotius in dumeto substitit: uterque inimicis canum effluviis ulteriore accessu prohibitus. Lupus vicinior emissos canes effluviis suis post se trahebat; ipse vero canum effluviis, aut etiam latratu in fugam agebatur. Porro ubi canes longius à grege recesserant, ad lupum alterum, in dumeto hærentem, solius jam gregis effluvia deferebantur; quibus adeo ad motum concitatus, potentissimeque tractus, in gregem velut ex insidiis irruere debuerit. Bella profecto, & facilis explicatio. Id unice mirandum quod alter iste lupus tanta effluviorum, è grege ipsi jam viciniore continenter erumpentium, vi ulterius trahi nequiverit, sed prima, quam adprehendere poterat, ovicula contentus aufugerit illico; eandem non prius deartuaturus, quam penitus extra conspectum Pastoris esset.

385 Propositio I. Bestiæ facultate cognoscendi præditæ sunt. *Prob.* 1.*mo* Actiones bestiarum eam habent cum illis actionibus nostris, quas à cognoscendi facultate pendere sensu intimo novimus, analogiam; ut si quidquam deferamus alteri huic Newtoni philosophandi regulæ, *effectuum naturalium ejusdem generis eædem sunt adsignandæ causæ, quatenus fieri potest*, in bestiis cognoscendi facultatem omnino agnoscere debeamus. Ad solas canum actiones lubeat animum tantisper ad-

vertere. Canis herum suum à peregrino discernit: illi blanditur, obtemperat: peregrinum contra negligit, aut in furorem actus dentibus impetit etiam; si tamen ab hero minas intentari sibi videat, imo sæpe si vel contrarium hujus nutum observet, à nocendo desistit. Viso fuste fugit, conspecta carne accurrit: in ipsa fuga non impingit in obstacula, in qua prima motus directione fertur, ut muros, sepes, verum caute declinat. Sexcentæ sunt aliæ tam canum, quam aliarum bestiarum actiones, quæ actionibus humanis ab anima cum prævia cognitione proficisci solitis admodum similes sunt. Quidni ergo juxta memoratam recte philosophantium regulam concludamus, dictas quoque bestiarum actiones ab earundem anima, quæ cognoscendi facultate gaudeat, proficisci? Profecto, ut ex objectionum solutione patebit, nullum Adversariorum argumentum est ejus ponderis, quo ad dictam philosophandi legem deserendam, bestiasque in numerum machinarum *hydraulicopneumaticarum* referendas moveri debeamus. Argumento huic ab analogia ducto novum pondus addit cerebri fabrica, nervorumque, ac sensuum adparatus, quæ in bestiis similia sunt structuræ humani corporis.

386 *Prob. 2do.* Utut fatendum sit, longe nobiliores machinas posse à Deo construi, quam ulla creata mens adsequi valeat; si tamen actiones bestiarum contendamus cum iis legibus, quibus materiæ inertiæ vi præditæ motus peraguntur, eas cum iis vix posse conciliari videbimus: ut adeo inesse in bestiis animam cognoscendi vi præditam oporteat, à qua mirabiles ipsarum actiones proficiscantur. Nam inprimis generosus equus ad angustiorem fossam transiliendam sola virgæ umbra, aut levi sibilo incitatur; si autem fossa nonnihil latior sit, ne verberibus quidem ullis efficies, ut se se in periculum conjiciat. Item, si famelicus equus fœnum eminus conspiciat, concitato cursu feretur versus illud; ubi tamen ad fossam profundiorem, quæ forte viam intercidat, pervenerit, gradum sistet, potiusque fossam declinaturus longiorem viam arripiet, quam ut cum periculo priorem motus sui directionem retineat. Denique si canem in fenestra altæ domus existentem tu in platea consistens ostensa carne ad te adlicias, non se dabit per fenestram præcipitem; sed per tortuosos graduum anfractus, quin impingat in obstacula, descendet, ut oblatam escam adipiscatur. Jam vero dic, obsecro, an non vel ille sensus, quem tibi rationalis natura indidit, reclamet, si actiones has à solis iis motuum legibus, quas in mundo corporeo obtinere novimus, ope structuræ mechanicæ derivare contendas? Quid virgæ umbra, quæ nonnisi absentia lucis est, conferet ad hoc, ut equina machina ad fossam angustiorem transiliendam determinetur, si eadem ad crepidinem fossæ nonnihil latioris adducta ne verberibus quidem ullis ad saltum adigi possit? Quid item fossæ præsentia conferet ad hoc, ut equus versus fœnum celerrime currens repente consistat, aut fossam declinaturus aliam viam priore longiorem arripiat? an forte odorem fœni fossa intercipit, ut jam eo trahi equus priori directione non possit? Denique an carnis odor impellit caninam machinam, ut per dictos graduum anfractus tam dextre descendat, & non potius per fenestram præceps ruat?

387 His unam adhuc observationem addere lubet; ex qua sola, ut

ego quidem arbitror, satis elucet, bestias pro meris automatis haberi omnino non posse. Nimirum ostende cani jacenti corpus, quod pani simile sit; adsurget, accedetque: ubi olfactu deprehenderit non esse escam, quod ipsi porrigitur, recumbet iterum. Porrige rursus idem ei corpus; forsitam secundo, ac tertio quoque accedet; at fraude sæpius repetita non adducetur amplius, ut adsurgat. Quodsi autem canis ille merum *automaton* est, cur toties non adsurgit, quoties fictum ei panem porrigis? nonne machinæ omnes, quas mere materiatas esse novimus, ut molæ, horologia &c. in iisdem rerum adjunctis eo certius constantem in agendo modum retinent, quo perfectiores sunt? aut forte putas, bis, terve adsurgendo vitiata fuisse organa quædam in canina illa machina, ut jam amplius commoveri non possit, tametsi iisdem, atque prius, viribus ad motum solicitetur?

Coroll. 1. Bestiæ igitur pro meris *automatis* haberi non possunt, verum agnoscenda est in iis anima, quæ cognoscendi facultate polleat.

Coroll. 2. Bestiæ præter sentiendi facultatem etiam facultate imaginandi, seu phantasia, item memoria gaudent. Id rursus analogia evincit. Complures enim bestiarum actiones cernimus, omnino similes esse iis actionibus nostris, quas à nostra imaginandi facultate, & memoria proficisci novimus, e. g. Canis herum suum à peregrino discernit; fuste ostentato fugit; domo longius abductus redire novit &c.

Coroll. 3. Ex hactenus dictis conficere licet, bestias obnoxias esse adpetitionibus, aversationibusque sensitivis: quod ipsum earundem actiones palam faciunt. Unde Tullius quoque *lib.* 2. *de Nat. Deor.* c. 47. "Dedit autem, inquit, eadem natura »belluis & sensum; & adpetitum; ut »altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera à salutaribus."

Coroll. 4. Spontanei quoque motus agnoscendi sunt in bestiis. Cum enim non sint automata mera, se ipsas ad agendum determinant: adpetunt, quod sensibus ipsorum arridet; aversantur, & fugiunt, quod iisdem adversatur.

338 Propositio II. Bestiæ carent intellectu, & ratione. *Prob.* 1.*ma pars.* Intellectus est ea facultas entis, qua illud distinctas rerum notiones efformat, ita ut easdem res comparativo quodam judicio à ceteris discernat (252); atqui bestiæ tali facultate carent; ergo carent intellectu. *Prob. min.* Si bestiæ distinctas rerum notiones obtinerent, ita ut rem unam ab altera comparativo quodam judicio discernant; profecto similitudines rerum, genera, differentias perviderent, abstractasque rerum notiones efformare possent (255, *ejusque cor.*): ergo non esset imprimis ratio, cur vocabulis arbitratu suo instituendis uti, atque ita sermocinari, aut saltem aliis signis non mere naturalibus, sed arbitrariis intimos suos sensus explicare non possent; non esset deinde ratio, cur saltem eæ bestiæ, quæ inter homines constanter versantur, ut canes, vocabulorum, quibus utimur, significationem non adsequantur. Atqui bestiæ vocabulis, aliisque æquivalentibus arbitrariis signis profecto destituuntur, utut cum certis suis internis adfectionibus certos externos sonos, ceu naturalia quædam signa, conjungere soleant: item bestiæ, etiam quæ inter homines versantur constanter, ut canes, vocabulorum, quibus utimur, significationem non adsequuntur; ut adeo iis præsentibus secreta tua tuto pan-

dere possis, tametsi necem ipsis inferendam contineant. Ergo bestiæ &c.

389 *Prob. altera pars Propos.* Ratio est ea mentis facultas, qua nexus veritatum universalium pervidemus, ita ut ex quibusdam veritatibus alias, quæ cum ipsis connexæ sunt, deducere queamus (262): quodsi ergo bestiæ ratione prædıtæ essent; abstractas veritatum universalium notiones animo conformare, earumque nexus intelligere possent: atqui istud de bestiis dici non potest; secus enim distinctis rerum notionibus & intellectu gauderent (252), & 255), rursusque fieri non posset, ut vocabulis, aut aliis arbitrariis internorum suorum sensuum signis destituantur. "Observatu dignum est (in„quit ipse Cartesius *Dissert. de me„todo n.* 5.) nullos reperiri homines „adeo hebetes, & stupidos, ne amen„tibus quidem exceptis, ut non pos„sint diversas voces apte construe„re, atque ex iis orationem compo„nere, qua cogitationes suas pate„faciant, contra vero nullum esse „aliud animal, quantumvis perfec„tum, aut felici sidere natum, „quod simile quidquam faciat. Hoc„que ex organorum defectu non con„tingit: videmus enim picas, & psit„tacos easdem, quas nos, voces pro„ferre; nec tamen, sicut nos, loqui „posse, hoc est, ita, ut ostendant „se intelligere, quid dicant. Cum „nihilominus homines à nativitate „surdi, & muti, sicque non minus, „sed potius magis quam bruta, des„tituti organis, quibus alii in lo„quendo utuntur, soleant propria „industria quædam signa invenire, „quibus mentem suam aperiant iis, „quibuscum versantur, & quibus „vacat ipsorum linguam addisce„re. Istud autem non tantum indi„cat, bruta minore rationis vi po„llere, quam homines, sed illa „plane esse rationis expertia."

390 *Confirmatur.* Si quæ ratio inesset bestiis; ea sensim magis, ac magis perfici posset, ejusque ope jam artes aliquæ ab ipsis excogitatæ fuissent: prius ignotæ: atqui nullam sane videmus apud bestias peculiarem inventionem, nullam in artibus varietatem, incrementa nulla; nihil observamus ab hodiernis bestiis ratiocinando detegi, quod veteribus ignotum fuerit; perindeque calluerunt artificia sua lupi, vulpes &c. Plinii tempore, atque modo. Ratio ergo bestiis tribuenda omnino non est.

Coroll. 1. Igitur bestiæ nonnisi corporum singularium, quæ nempe in earundem sensus incurrere possunt, ideas obtinent; abstractas, & universales rerum notiones, ut sunt generum, specierum, efformare nequeunt (255). Hinc nulla potest in ipsis inesse notio Dei, juris, honesti, inhonesti. Quod ipsum innuit Propheta *Psalm.* 31. "Nolite fieri „sicut equus, & mulus, quibus non „est intellectus."

Coroll. 2. Libertas indifferentiæ intellectum poscit in agente. Ut enim imprimis actio quæpiam poni, aut omitti possit, omissionis hujus notio adesse, in eaque quiddam boni relucere debet; quod tamen absque intellectu fieri nequit. Pariter ut è duobus singularibus bonis alterum præ altero libere queat eligi, ejusmodi cognitio debet adesse boni utriusque, vi cujus alterum ab altero comparativo quodam judicio discerni possit, quæve utrumque repræsentet ex eorum esse genere, quæ quandam rationem boni contineant; ac proinde debet adesse boni utriusque intellectio. Cum ergo bestiæ intellectu destitutæ sint, libertate quoque indifferentiæ careant, est necesse.

Coroll. 3. Si quid ergo libere efficere videantur bestiæ, ut cum jam huc, jam illuc corpus flectunt, jam lentius, jam celerius progrediuntur &c., ad totum id diversa duntaxat adpetitionum contentione, vel perceptionum, aut phantasmatum claritate determinantur; ita ut vehementior adpetitus, vel cognitio clarior citra deliberationem, electionemve ad agendum eas impellat.

391 Pro iis bestiarum actionibus, quæ cum aliqua ratiocinatione connecti videntur, explicandis duo hoc loco notanda sunt: quorum alterum *instinctus naturæ*, alterum *exspectatio casuum similium* nuncupari solet. *Instinctus naturæ* non aliud est Recentioribus, quam ea organorum, communisque sensorii constitutio, animalibus congenita, vi cujus in certis rerum adjunctis certæ in ipsis ideæ, ac proinde etiam certæ adpetitiones, aut aversationes excitentur, quibus anima sine ulla prævia deliberatione, ratiociniove ad quasdam actiones externas determinetur. Hujusmodi admonitiones naturæ nobis quoque indulsit providentissimum Numen, utut intellectu, ratione que instructis. Sic, ut alia taceam, in periculo lapsus dexterrime libramus corpus, manumque in partem oppositam, ad omnes æquilibritatis leges, solius naturæ ductu protendimus. Atque id genus instinctui naturæ, qui in diversis bestiarum generibus diversus utique esse potest, jure attribuuntur eæ ipsarum actiones, quæ *uniformes* dici solent, seu quæ ab omnibus ejusdem generis animantibus æque exercentur, pertinentque potissimum ad procurationem victus, propagationem generis, & sui ipsius conservationem. Tales sunt, constructio nidorum in avibus, insidiæ in belluis rapacibus &c.

392 *Exspectatio casuum similium* adest, quum recurrentibus iis rerum adjunctis, quæ cum certis eventibus ante connexa erant, iidem rursus eventus expectantur e. g. Canis in culina cibum adgreditur: meminit vero, se nuper, dum idem pertentaret, ab hera superveniente insigniter fuste verberatum fuisse: quodsi ergo nunc quoque videat heram cum fuste adpropinquantem, similem priori casum, id est verbera exspectat; adeoque fuga sibi consulit. Jam casuum similium exspectatio etiam absque genuina ratiocinatione haberi potest: si nempe inferior cognoscendi facultas duos singulares casus quoad quæpiam adjuncta similes repræsentet, alterum præsentem, præteritum alterum; vis autem fingendi eventum casus præteriti adjungat casui præsenti. Tunc enim casus præsentis perceptionem iidem adfectus consequi poterunt in anima, qui consequebantur eventum casus præteriti. e. g. In adsumpto casu adest in cane duplicis casus cognitio; pristini, dum ab hera superveniente in similibus rerum adjunctis verberatus erat, & præsentis, dum heram simili rursus modo adpropinquantem conspicatur. Jam quoniam fingendi vis juxta statutas ab Auctore naturæ leges eventum pristinum, seu verberationem præsenti casui adjungit, vel forte ob solum intellectus, rationisque defectum, pristinum casum cum præsente confundit; aversatio quædam præsentis casus enascitur in cane, qua is ad vitandum eum, capiendamque fugam determinatur.

393 Dixi: casuum similium exspectationem haberi posse *absque genuina ratiocinatione*. Genuina enim ratiocinatio semper generali cuidam principio innititur, neque potest absque omni axiomatum notitia ins-

titui: cum tamen nunc explicata casuum similium exspectatio absque ullius generalis principii notione stet. Profecto si quis sola natura duce, vere tamen, ratiocinetur; iisdem reapse argumentationum principiis utitur, quæ in artificiosa Logica explicari solent; quamvis ea diserte nequeat explicare (*Log.* 10).

Coroll. Igitur pura casuum similium exspectatio umbra potius ratiocinationis, quam genuina ratiocinatio est dicenda.

394 Propositio III. Anima bestiarum incorporea est. Patet ex earum facultatibus hactenus percensitis. Pollent enim inferiore cognoscendi facultate, seu vi sentiendi, imaginandi, memoria sensitiva; hæ autem facultates materiæ, è qua nimirum nostra hæc corpora coalescunt, minime conveniunt (319).

Coroll. 1. Eadem argumentandi ratio, qua num. 322 animam humanam esse simplicem & individuam substantiam ostendimus, bestiarum quoque animabus adplicari potest, ut expendenti patebit: quare hæ quoque simplices, & individuæ substantiæ sint, oportet; ac proinde nequeunt oriri, nisi per creationem, neque interire, nisi abeant in nihilum (59).

Coroll. 2. Vocabulo *spiritus* designamus substantiam incorpoream, quæ intelligendi vi, & voluntate prædita sit (320); animæ vero bestiarum intelligendi vi carent (388), ac proinde etiam voluntate, cum hæc sine illa stare non possit (287); bestiarum ergo animas, utut incorporeæ sint, *spiritus* nuncupare non possumus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

395 *Obj. contra prop.* 1. *num* Potuit Deus ita condere bestias, ut omnes suos motus sine ulla anima, cognitionis capace, vi solius mechanicæ structuræ peragerent; ergo dicendum est, ita reapse illas esse à Deo conditas *Ant.* patet. Si enim vel humana perspicacitas tam stupendas machinas construere potuit, qualis erat Regiomontani aquila, lignea Dædali venus &c. an ne dictam efficacitatem Deo negare possumus? *Cons.* vero *prob.* Deus nihil frustra molitur: atqui fuisset quidpiam frustra molitus, si non obstante, quod bestias aptas reddere potuerit ad omnes suos motus absque ulla anima cognitionis capace peragendos, iis tamen id genus animam indidisset; ergo si potuit Deus ita condere bestias &c.

℞. *T. ant. N. cons.* Quemadmodum ais tu, potuisse dicto modo conformari à Deo bestias, ita ajo ego, potuisse ab eodem indi bestiis animam cognitionis capacem. Tota ergo quæstio huc recidit: quidnam Deus reapse fecerit? Quæ quidem quæstio *facti* ex sola rei possibilitate decidi utique non pôtest, sed stante hac alia conquirenda sunt argumenta, e quibus colligi queat, quid reapse factum à Deo sit. Porro argumentum, quod tu præter possibilitatem pro sententia tua adducis (quod nimirum Deus frustra fuisset quidpiam molitus si &c.) prorsus inane est. Cum enim Deus in procreandis rebus liberrimus sit, tot sane rerum genera condere potest, quot voluerit; neque molitur id frustra, quod ob notos sibi fines liberrime molitur. Ex adverso nos pro anima bestiarum cognitionis capace opponimus tibi argumentum ab analogia ductum (385): quod magni sane roboris esse agnoscas, oportet. Certe si argumentis ab analogia ductis nihil, aut parum defe-rendum existimes, ne id quidem

apud me unquam evinces, aliquam tibi inesse animam. Si enim imprimis externas tuas actiones pro indicio latentis in te animæ adferas; dicam, potuisse à Deo machinam tui corporis ita construi, ut omnes, quas experior, actiones tuæ vi solius mechanicæ structuræ peragantur: uti tu de bestiarum mechanica structura loqueris. Si ad intimum animi sensum provoces; reponam, me quidem animæ meæ conscium mihi esse, neque sentire tamen, an tibi quoque similis conscientia insit. Delaberis ergo demum ad analogiam, dicesque; si quis intimo sensu comperiat, externas actiones suas ab anima intus latente proficisci, dubitare non potest, alterius quoque actiones similes, quem iisdem, quibus ipse, organis instructum videat, intus latenti animæ tribuendas esse. Recte quidem: at si tu argumentum meum ab analogia ductum sine ulla ratione solida respuis, quo jure à me postulas, ut ego tuo pariter ab analogia ducto cedam?

Transmisi *ant.* Actiones enim bestiarum cum legibus vis innertiæ, ad quas substantiarum corporearum motus exigi novimus, haut cohærere, è num. 386, & 387 intelligere licet. Ad prob. *ant.* ajo, miras illas machinas, quæ humana industria constructæ quasdam animalium actiones expressisse feruntur, communibus motuum legibus omnino fuisse adstrictas. Profecto si e. gr. Regiomontani aquilæ volanti expansum velum objecisses, non dubito futurum fuisse: ut illa in istud impingat: si Dædali venus ad crepidinem fossæ adducta fuisset, ut ibi suas motiones peragat, facile in fossam ruisset præceps. Aliter sentiendum esse de bestiis, è num. nunc citato patet.

396 *Obj. cont. 2.dam Propos. 1.mo* Bestiis tribuitur facultas cognoscendi ergo iisdem etiam intellectus, & ratio tribuatur, oportet. *Prob. cons.* Ideo primum, quia bestiarum actiones multæ similes sunt iis actionibus nostris, quas à cognoscendi facultate pendere sensu intimo novimus: atqui multæ earundem actiones similes quoque sunt iis actionibus nostris, quas ab intellectu, rationeque pendere, sensu intimo novimus; ergo si bestiis facultas cognoscendi tribuitur, iisdem intellectus quoque, & ratio tribuatur, oportet.

℞. *C. ant. N. cons.* Ad prob. *D. maj.* Ideo primum duntaxat, quia &c. *N. maj.* Ideo præterea, quia vis analogiæ quoad primam hanc actionum classem positiva ratione non eliditur, imo insuper solide probatur, actiones bestiarum à machina pure corporea, communibus vis inertiæ legibus subjecta, haud posse provenire *C. maj. D.* etiam *min.* Atqui multæ earundem &c. positiva tamen ratio evincit, analogiam quoad alteram hanc actionum classem robore carere *C. min.* secus *N. min.* & *cons.* Adversarii nulla ratione positiva possunt elidere vim argumenti ab analogia ducti, quo cognoscendi facultatem in bestiis agnoscendam esse n. 385 probavimus, eo ipso autem argumento illi deferendum est plurimum, quemadmodum in omni vita humana argumentis ab analogia ductis, quorum vim ratio positiva non enervat, plurimum tribuere solemus. Ex adverso nullum esse robur analogiæ quoad vim intelligendi, ac ratiocinandi bestiis attribuendam, positiva ratione ostendimus n. 388. Deinde pro bestiarum cognoscendi facultate præter analogiam alia quoque argumenta attulimus num. 386, & 387; è quibus patet sane actiones bestiarum à machina pure corporea, communibus vis inertiæ legibus subjecta, haud posse provenire.

Urgeb. 1. Si quæ esset ratio positiva, quæ evincat bestias carere intellectu, & ratione, ac proinde quæ vim analogiæ quoad alteram illam actionum classem enervet; essent hæ: 1) quia si bestiæ intellectu, ac ratione pollerent, non esset ratio, cur vocabulis, aut saltem aliis signis arbitrariis intimos suos sensus explicare non possent; 2) quia saltem eæ bestiæ, quæ inter homines constanter versantur, ut canes, vocabulorum, quibus utimur, significationem tandem adsequerentur; 3) denique quia si quæ ratio inesset bestiis, ea sensim magis ac magis perficeretur, ejusque ope jam aliquæ novæ artes ab ipsis excogitatæ fuissent: atqui rationes hæ vim dictæ analogiæ non elidunt; quod si probo. 1) Bestiis desunt organa ad loquendum necessaria, quod autem variis signis intimos suos sensus pandant, dubitare non possumus; nam e. g. gallina certo sono convocat pullos; canis alio latratu prodit ferociam, alio lætitiam &c. 2) Pariter dubitari non potest, bestias e. g. canes significationem humanorum vocabulorum adsequi; nam & nomina sua optime norunt: & heris ipsos adloquentibus obtemperare solent. 3) Denique artes quoque suas perficiunt bestiæ. Nam e. g. canis venaticus longiore usu perficitur in arte sua, majorique dexteritate circumvenit leporem successu temporis, quam primis hujus exercitii sui annis. Ergo rationes superius commemoratæ vim dictæ analogiæ non elidunt.

℞. C. *maj.* N. *min.* Ad prob. ajo: 1) Sunt bestiæ, quæ aptissima habeant ad loquendum organa, & longa exercitatione eo adducantur etiam, ut plura vocabula articulate promere norint; quin tamen ullo signo prodant, distinctam se habere notionem earum rerum, quarum nomina pronunciare solent. Unde etiam, si quis non intelligat ea, quæ de memoria recitat, vulgo cum Psittaco comparari solet. Porro signa illa, quibus animalia internos adfectus suos prodere solent, naturalia sunt, non mere arbitraria; ut vel inde patet quod singula ejusdem speciei animalia in ejusmodi signis, e. g. gallinæ in convocandis pullis, conveniant, tametsi in diversis, maximeque dissitis regionibus absque ulla communicatione mutua degant. Denique possunt (ut expendenti facile patebit) omnes illæ bestiarum actiones per instinctum naturæ, & casuum similium expectationem (391, & 392) explicari, ex quibus inferre nonnulli conantur, eas inter se vere, ac proprie sermocinari. 2) Pariter potest expectationi casuum similium absque ullis intellectionibus adscribi, quod ex. gr. canis audito suo nomine accurrat, hero suo obtemperet; uti etiam 3) ea artis perfectio, quam e. g. in cane venatico post longum ipsius exercitium observamus.

Urgeb. 2. Ex plurimis bestiarum actionibus colligere licet, eas vere ratiocinari: ergo positiva ratio potius evincit, bestias intellectu, & ratione gaudere. *Prob. ant.* adducendo quasdam bestiarum actiones. 1) Si canis venaticus feram persequens ad trivium deveniat; ubi olfactu deprehenderit, per neutram è duabus viis ivisse feram, tertiam viam ne indagat quidem, sed per eam illico fertur; ac proinde sic videtur ratiocinari: *aut hac, aut istac, aut illac transiit fera; non autem hac, neque istac; ergo illac.* 2) "Thraces etiam-„num (inquit Plutarchus *de indus-„tria animalium*) flumen glaciatum „transituri, non aliunde, quam à „vulpe documentum capiunt prius. „Leniter hæc super glaciem ince-„dens, auriculam admovet: ac si

„strepitum subterlabentis aquæ captando adsequi potest, non satis alte, sed tenuiter, & invalide fixam colligens, sistit gradum; ac nisi quid vehementer urget, nusquam promovet pedem; strepitum vero postquam audire nullum potest, sumptis animis trajicit" &c.

℞. *N. ant.* Ad prob. ajo, has quoque bestiarum actiones partim per instinctum naturæ, partim per expectationem casuum similium absque ulla genuina ipsarum ratiocinatione sat apte posse hoc, aut simili modo explicari: imprimis canis venaticus cupiditate reperiendæ feræ æstuans, ipsius naturæ admonitione, seu *instinctu* ad exploranda olfactu ejus vestigia incitatur: meminit vero se alias, dum feram persequendo ad trivium devenisset, duasque vias frustra olfactu explorasset, in tertia feræ vestigia deprehendisse; quem eventum dum fingendi vis moderno casui adnectit, enascitur in cane adpetitio; qua is ad tertiam illam viam tenendam determinatur. Profecto posita canis illius ratiocinatio, ut expendenti patet, *supponeret* rudem aliquam hujus generalis veritatis notitiam: *quandocunque per unam ex tribus viis transit fera, si constet eandem per duas quasdam earum non ivisse, inferre licet, tertiam tenuisse viam*: quoniam vero hæc veritas principio contradictionis innititur, hujus quoque aliqua cognitio in cane illo inesse debuisset. Quæ tamen quis sustineat? Quod vero ad vulpem attinet: ex eo, quod hæc leniter per glaciem incedens auriculam admoveat, minime consequitur, id eam ratiocinando agere, nimirum explorandi gratia, sitne firma glacies, an non: potest enim hujus rei non alia esse causa, quam quod auditu acutissimo pollens vel eminus percipiat aquæ motum, aut alium sonitum, atque occasione ad adplicandam glaciei aurem determinetur. Sic nos quoque ad sonitum subito enatum sæpe solius naturæ admonitione aures arrigimus, inque partem illam convertimus, ex qua impressio facta videtur. At, inquis, tametsi nullum audiat aquæ susurrum, aures tamen ad glaciem adplicat, non transitura, si defluentis aquæ susurrum admotis auribus perceperit. Ita tu quidem interpretaris; at ego ajo, etiam tum, cum eminus nullum perciperet vulpes aquæ susurrum, posse ipsam determinari, ut aurem glaciei admoveat, quin ullo ratiocinio habeat opus; si nempe recordetur susurri in hujusmodi rerum adjunctis alias observati: tum posse terreri, si admotis auribus potentiorem susurrum percipiat. Quid, quod hujusmodi historiolæ miris sæpe rerum adjunctis augeri soleant.

397. *Obj. 2.do* Si dicamus, bestias carere quidem *perfecta* ratione, nempe vi cujus ex principia generalia deducant, ratiocinationes difficiliores nectant, sed tamen pollere quadam *imperfectiore* ratione, vi cujus singularium objectorum simplices, magisque obvias relationes pervideant, & ex singularibus ideis quasdam faciliores conclusiones deducant; facile intelligitur, cur bestiæ non æque, ac muti homines, excogitent arbitraria signa, quibus intimos suos sensus pandant; cur novas artes non excogitent &c. & simul ex ipsarum actiones, quæ nunc *in Urg.* 2. objectæ sunt, magis congrue explicabuntur, quam si omnis ratio ipsis penitus adimatur: ergo dicendum est, bestias saltem imperfectiore quadam ratione gaudere. *Confirm.* Ipsa casuum similium exspectatio sane continet in se imperfectum id genus ratiocinium; quæ sit conclusionis ex singularibus ideis deductio; ergo bestiis saltem im-

perfectiorem quandam ratiocinandi vim tribuamus, oportet.

℞. *N. ant.* & ajo: *Ratiocinari* est ex notis quibusdam veritatibus, alias quæ cum illis connexæ sunt, eruere, ac deducere; videlicet ob perspectam earundem connexionem: jam vero ex nullis sane veritatibus potest alia quæcunque veritas deduci ob connexionem absque omni veritatum generalium notitia, uti superius *in resp. ad Urg.* 2. in particulari casu canis ad trivium devenientis ostensum est: quodsi ergo bestiæ vero quopiam sensu conclusiones formarent ex quibusdam veritatibus; omni veritatum generalium, & astractarum notitia destitutæ nequaquam essent. Eo ipso autem non esset sane ratio, cur non excogitent tandem aliqua signa arbitraria, quibus internas suas cogitationes ita nobis manifestent, ut de earum intellectu, & ratione nullum supersit dubium; cur saltem eæ bestiæ, quæ inter homines constanter versantur, ut canes, vocabulorum, quibus utimur, significationem non adsequantur ita, ut iis auditis ea rationis suæ specimina dent, quæ per solam similium casuum exspectationem à phantasia profectam explicari nequeant; cur artes suas successu temporis non perficiant, neque novas unquam excogitent &c. Recole verba Cartesii, n. 389 relata. Et sane, si ex actionibus bestiarum ulla in iis probaretur facultas vere, ac proprie ratiocinandi; probaretur in plurimis non tantum imperfecta quædam, sed omnino eximia: aliqua enim opera complurium bestiarum sunt ejusmodi, ut si ab homine fierent, eximiam in eo arguerent facultatem ratiocinandi, e. g. "Apes si favos suos cum „reflexione construerent (verba sunt „Boehmii), integram l. 5. Euclidis „notitiam animo comprehensam te„nerent."

Ad Confirm. D. ant. Ipsa casuum similium exspectatio continet in se imperfectum ratiocinium, quod vere ratiocinium sit, ita ut generica ratiocinii notio (262. *cor.* 2.) ei reapse conveniat *N. ant.* ita ut effectus duntaxat ipsius sit similis effectui veri ratiocinii, vocabulumque *ratiocinii* nostris ratiociniis & exspectationi similium casuum in bestiis reapse *æquivoce* duntaxat, non *univoce* (*Log.* 38.) conveniat *C. ant.* & *N. cons.* Verum ratiocinium absque omni veritatum generalium notitia profecto fieri nequit, uti superius dictum est: exspectatio vero similium casuum ope solius inferioris cognoscendi facultatis peragi potest (392).

398 *Obj. contra 3.tiam Propos.* Si animæ bestiarum essent incorporeæ; essent substantiæ simplices, ac proinde in partes discerpi non possent: atqui possunt; ergo non sunt incorporeæ. *Prob. min.* Serpentes, viperæ, lumbrici, si in duas secentur partes, ambæ non moventur solum, verum etiam, si e. g. acu pungantur, se se contrahunt, quasi dolorem sentirent. Item polypi dulcis aquæ in plures partes secti, teste Trembleyo, in totidem novos polypos abeunt. Denique scarabæus etiam ablato capite diutissime vivit. Ergo animæ bestiarum in partes discerpi possunt.

℞. *C. maj. N. min.* Ad prob. *C. ant. N. cons.* Imprimis omnis ille motus, qui in recisis serpentum, viperarum, & lumbricorum partibus observatur, potest adscribi fluido cuidam tenuissimo per nervos adhuc commeanti, prioresque commotiones diutius conservanti; ipse sanguis quoque putrescens ad id conferre aliquid potest: ac proinde mi-

nime dicendum est, animas earum bestiolarum in totidem partes, in quot corpus, discerpi. Sed neque sensus doloris potest inferri è subita contractione, dum compunguntur. Nam hæc quoque contractio ab ipsa partium illarum conformatione, fluidóque intus aliquamdiu perdurante, ac commeante proficisci potest. Ista verisimilia redduntur etiam observationibus Cl. Nicol. Weis Med. Profess. Altorfiii. "Sæpius expertus sum, inquit ille *Dissert. edita an.* 1752. corda æque, ac frusta musculorum, certa cum encheiresi ex canibus modo strangulatis abscissa, magis, vel minus convelli, prout plus, aut minus adflatu aeris, punctura, acus, vel sale, aut spiritu asperso adficiebantur." Quos quidem motus nemo parti animæ, quæ in his partibus remanserit, attribuet. Quod ad polypos attinet: plerique censent per polypi corpus dispersa esse plurima ovula, quæ accedente calore in novos polypos excrescant, ita ut tunc primum nova cuilibet condatur anima, dum jam matura redduntur organa ad præcipuas vitæ functiones peragendas. Argumento est ipsa naturalis propagatio polyporum: gigni enim solent è materno corpore ad eum fere modum, quo germina ex arboribus protruduntur; ita ut posteriore sui parte matri aliquot dies quodammodo infixi sint. De scarabæo dicendum videtur, ejus commune sensorium, ac proinde etiam animæ sedem, non in capite, sed in vicina quapiam corporis parte esse constitutam; ac proinde avulso corpore non discerpi animam, cujus pars una capiti, altera reliquo corpori adhæreat; verum totam eam in majore corporis divisi parte perdurare, dum organa, quæ ad exercendas vitæ functiones necessaria sint, penitus destruantur.

399 Pro reliquis Object. solvendis nota I. Ex eo, quod bestiæ anima sit ens simplex, simulque inferiore cognoscendi facultate prædita, non sequitur, eandem esse immortalem. Nam ad immortalitatem naturalem requiritur, ut ens nec à creatis causis possit destrui, aut vita exui, nec etiam à Deo ut naturæ auctore, ac proinde requiritur etiam Auctoris naturæ lex de entis illius existentia & vita in perpetuum conservanda; qualem exstare legem pro anima humana, ex ejusdem proprietatibus ostendimus num. 337. Jam vero quis ex eo, quod bestiæ anima sit substantia simplex, *inferiore* cognoscendi facultate prædita, inferat, ab Auctore naturæ latam esse legem de ejusdem vita in omnem æternitatem conservanda? Imo cum animæ bestiarum ob defectum intellectus, & rationis nec actuum moraliter bonorum, aut malorum, nec præmii, aut pœnæ capaces sint; de his contrarium potius censere possumus, nimirum eas hoc duntaxat fine esse creatas, ut corpora rite organizata informent, ac proinde his destructis fine existendi destituantur; sicque ab Auctore naturæ juxta universalem quandam ab eodem statutam legem annihilentur quemadmodum juxta aliam naturæ legem, rite organizato corpore creatæ fuerunt. Ceterum "non interest scire, inquit Antonius Genuensis, quid contingat his substantiis, postquam ab unione aliarum discessere; constet id Auctori suo, ut perfecte pronuntiat Augustinus Calmetus. Ad rerum, ut alias dixi, extremos fines humana mens non pertingit." Sufficiat nobis, è proprietatibus animæ humanæ rite deduci naturalem immortalitatem, non item e proprieta-

bus animæ bestiæ; ut adeo neque ex immortalitate animæ humanæ liceat inferre immortalitatem animæ bestiæ neque è mortalitate hujus mortalitatem illius.

400 II. Canis nequaquam discernit panem à lapide ita, ut *intelligat*, quid panis, quidve lapis sit: quippe nequit intelligi, hoc objectum esse e. gr. panem, nisi intelligatur generatim, quid sit esse panem, ac proinde, nisi prius abstracta notio *panis* in mente efformetur; cujusmodi facultatem cani attribuere non possumus. Tota igitur distinctio, quam canis panem inter & lapidem facit, in eo fere sita est, quod panis eas faciat in ipsius sensus impressiones quas grata sensatio consequatur, quibusve excitetur memoria gratæ sensationis jam prius pane comesto habitæ: quo facto excitatur in cane adpetitio panis præsentis, isque ad eum arripiendum determinatur. Lapis ex adverso idem non præstat, vel potius refricat memoriam doloris, quem forte canis lapide ictus olim senserit.

401 III. Tametsi actionum, organorumque cum humanis similitudo non deprehendatur æque in omnibus bestiis, cumprimis in iis, quæ vocantur *imperfectæ* (54. *Schol.*), ut sunt insecta varia; jure tamen aimus, omnibus omnino bestiis inesse animam aliqua cognoscendi facultate præditam. Nam primo argumentamur ab hominibus ad bestias, nobis quoad actiones, organorumque numerum, & perfectionem maxime similes: ab his deinde ad alias, quæ illis magis, nobis minus similes sunt, & sic porro.

402 IV. Ex eo, quod bestiæ doloribus absque demerito suo subjectæ sint, & hominum usibus destinatæ, prorsus nulla in Divinam bonitatem imperfectio redundare potest. Nam imprimis bestiæ sunt natura sua obnoxiæ doloribus: non est autem inconveniens, si Deus producat ens quodcunque, illudque modo naturæ ipsius conveniente conservet. Deinde bestiarum dolores compensantur voluptatibus, quibus illæ pariter absque omni suo merito perfruuntur. Porro Deus absolutus omnium creaturarum Dominus est: cur ergo nequeat bestias usui nostro destinare, ut nobis tanquam nobilioribus creaturis singularem benevolentiam exhibeat? Si non pugnat cum naturali justitia, ut homo hominis servus sit, cur deberet justitiæ Divinæ adversari, ut bestiæ hominum usibus destinentur?

403 V. Dicuntur reperti jam fuisse homines aliqui inter feras educati, qui postquam capti, hominumque convictu masuefacti sermonem humanum tandem addidicerunt, fassi sint, se prorsus non meminisse eorum, quæ olim belluinam vitam degentes viderant, fecerantque. Quodsi ita se habet; ejus ratio inde videtur repetenda, quod ejusmodi homines inter bestias destituti fuerint præcipuo illo memoriæ acquirendæ, conservandæque remedio, quod vocabulorum usus per signa singulis idearum notis respondentia suppeditare solet (*Log.* 39.); unde factum fuerit, ut exiguam habuerint factorum suorum memoriam, quamdiu inter feras versati sunt; quæ quidem memoria magis adhuc obliterata, penitusque deleta fuerit, postquam homines illi usu loquelæ vividas rerum ideas acquisiverunt, quibus priores illæ debiles quodammodo obrutæ, sepultæque fuerint.

DISSERTATIO QUARTA

COMPLECTENS THEOLOGIAM NATURALEM.

CAPUT PRIMUM.

De Dei existentia, & quibusdam attributis.

§. I.

Demonstratur existentia Dei.

404 Nomine *Dei* præstantissimum quoddam ens venit, quo nihil melius possit excogitari. "Hoc omnes »Deum consentiunt esse, inquit D. »August. *Doct. Christ. c. 6.* quod »ceteris rebus anteponunt." Item: "Omnes latinæ linguæ gnaros, cum »aures eorum sonus iste (*Deus*) teti»gerit, movet ad cogitandum excel»lentissimam quandam, immorta»lemque naturam." Hinc nomine *Dei* jure designamus quoddam ens, ab hac rerum universitate diversum, absoluta necessitate existens. Nam, ut ex iis intelligere licet, quæ *diss.* 1. c. 8. §. 2. dicta sunt, nonnisi hujusmodi enti convenire possunt præstantissima illa prædicata, quæ Deo attribui solent.

405 Qui Dei existentiam non agnoscunt, *Athei* nominantur. Alii sunt negativi, positivi alii. *Negativi* dicuntur, qui Deum exstare ignorant: *positivi* autem, qui negant existentiam Dei, aut saltem in dubium revocant. E recentioribus positivis Atheis noti sunt, Lucilius quidam, origine Italus, qui an. 1619. Tolosæ exustus est; Machiavellus, ex assecla Calvini factus atheus, eodem supplicio Parisiis affectus &c. Contra hos ergo, & alios id genus pessimæ farinæ homines invictis argumentis existentiam Dei demonstrabimus.

406 ARGUMENTUM I. Singula entia, quæ hoc aspectabili mundo continentur, contingenter existunt: nam quodcunque eorum speciatim contempleris, illud variis mutationibus obnoxium esse, multisque perfectionibus carere deprehendes; cum tamen ens absoluta necessitate existens debeat esse immutabile, omnibusque possibilibus perfectionibus præditum (86. 85.) Adsumamus ex iis quodpiam individuum, e. g. animam tuam, vocemusque A. Contingens istud ens A sufficientem existentiæ suæ rationem in essentia sua continere non potest (83. *cor.* 1.); igitur exstare debet aliud quodpiam ens B, in quo entis A sufficiens existendi ratio contineatur. Jam ens istud B Deum esse oportere, sic ostendo. Ens istud B neque potest esse quodpiam ens contingens individuum, neque potest esse aliqua collectio entium contingentium; ergo est ens à rerum contingentium univer-

sitate diversum, absoluta necessitate existens, ac proinde Deus (404.) *Ant.* I. *memb. prob.* Si B ponatur esse quoddam individuum contingens, sufficientem existentiæ suæ rationem non in se ipso, sed in alio quopiam ente C habebit (83. *cor.* I.); hinc idem B non existet, nisi existente C; ac proinde neque A existet, nisi existente eodem C: ergo contra hypothesim adsumptam B non continet sufficientem existendi rationem entis A, quod absurdum est.

Prob. alterum ejusdem ant. memb. Nam etiamsi infinita esse ponatur collectio entium contingentium, ea tamen, non minus ac singula ejus individua, manet contingens, uti n. 88. ostensum est: ergo sufficiens ipsius existendi ratio in alio quopiam ente C extra totam illam collectionem posito contineri debet (83. *cor.* I.). Hinc rursus sic argumentari licet; B non existet, nisi existente C; ergo neque A existet, nisi existente eodem C: ac proinde contra hypothesim adsumptam B non continet sufficientem existendi rationem entis A, quod rursum absurdum est.

Schol. Ea, quæ contra hanc argumentandi rationem temere objiciunt Athei, jam *diss.* I. *c.* 8. §. 2. disfuimus.

407 ARGUMENTUM II. Nemo est, cui serio persuasum esse possit, ex atomorum per inane volitantium fortuita concursione quoddam e. g. magnificum palatium, ad omnes omnino Architectonicæ leges conformatum, aut librum meris elegantissimis versibus heroicis constantem, simulque omni eruditionum genere plenissimum unquam coaluisse, aut coaliturum: ergo multo minus potest ineptire quis usque adeo, ut mundum hunc, in quo tantam rerum varietatem, ad suos fines aptissime dispositarum, tam concinnos, statisque legibus accuratione summa adstrictos cælestium globorum motus &c. contuetur, absque omni artifice fortuita atomorum consociatione temere conflatum esse opinetur. Atqui summus ille artifex, cujus efficacitate hæc tam elegans, ordinataque rerum universitas coaluit, Deus est. Patet istud tum è communi omnium populorum consensu, qui nomine *Dei* Conditorem hujus mundi, ac providum Gubernatorem intelligunt; tum inde etiam, quod facile quisque adsequatur, mirabilem hanc mundi machinam, tamque diversa entium genera, ad suos fines aptissime ordinata, summi cujusdam artificis, infinita efficacitate, intelligentiaque præditi opus esse oportere. Igitur in extremam dementiam prolapsus sit, oportet, qui Dei existentiam inficietur. Unde D. Bonaventura *Itin. ment. c.* I. "Qui tantis, inquit, rerum creatarum splendoribus non illustratur, »cæcus est; qui tantis clamoribus »non evigilat, surdus est; qui ex »tantis indiciis PRIMUM PRINCIPIUM non advertit, stultus est." (a)

(a) *Cleanthes quoque apud Ciceronem* l. 2. de Nat. Deor. c. 5. *earum causarum, ob quas in animis hominum informata sit notio Dei, vel maximam esse dixit* "*æquabilitatem motus, conversionem cœli; solis, lunæ, siderumque omnium »distinctionem, utilitatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum aspectus »ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam, aut in »gymnasium, aut in forum venerit; cum videat omnium rerum rationem, mo»dum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem in-*

408 Neque dicas, inter *Deum*, & *casum* dari medium, scilicet *naturam*, ac proinde ex eo, quod mundus hic aspectabilis casu & fortuito non coaluerit, minime sequi, eundem à Deo esse conditum, sed potuisse necessariis *naturæ* legibus effici. Nam ℞. id, quod obscuro *naturæ* vocabulo designant hoc loco Athei, vel est ens contingens, vel necessarium? Si primum; in eo sufficiens existentiæ mundi ratio contineri prorsus non potest (406.): sin alterum; id oportet esse æternum (84.), omnibus possibilibus perfectionibus absque ullis limitibus præditum (85), immutabile (86.), unicum (89.); adeoque ab ipso Deo diversum esse non potest.

409 ARGUMENTUM III. Teste Tullio *l.* 1. *de Leg. c.* 8. "Nulla gens » est, neque tam immansueta, ne» que tam fera, quæ non, etiamsi » ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat." Item *l.* 1. *quæst Tusc. c.* 13. "Omnes esse » vim, & naturam Divinam arbi» trantur: nec vero id collocutio ho» minum, aut consensus efficit; non » institutis opinio est confirmata, » non legibus. Omni autem in re » consensio omnium gentium, lex » naturæ putanda est." Plotinus » *l.* 5. *Ennead.* 6. *c.* 1. Omnes naturali » quodam instinctu clamant, in uno » quoque nostrum Deum esse." Denique ut alios præteream, Maximus Tyrius *Diss.* 1. "In hac, inquit, tan» ta pugna, & opinionum varietate » in eo leges, & opiniones ubique » terrarum convenire videbis, Deum » esse unum Regem omnium, & Pa» trem." Igitur rationis vis hominibus naturaliter insita, quæ *communis sensus* nomine venire solet, estque certum veri criterium, aperte docet, aliquem Deum extare oportere.

410 *Dices* 1.*mo* Feruntur extitisse aliquæ nationes barbaræ, imo etiamnum existere, quæ nullum Deum colerent; ergo dici non potest, judicium illud, quod de existentia Dei habemus, ab ipsa vi hominibus naturaliter insita proficisci. *Confirm.* 1.*mo* Nonulli eorum, qui Athei fuisse dicuntur, acerrimo ingenio erant; imo non desunt, qui Platonem ipsum, & Aristotelem Atheis adnumerent: atqui credibile non est, futurum fuisse, ut egregiæ perspicacitatis viri Numinis existentiam inficientur, si hanc ipsa rationis vis, naturaliter nobis insita doceret. *Confirm.* 2.*do* Opinio Dei potuit ingenerari hominibus aut ab astutis Legislatoribus, qui populos hac ratione facilius in obsequio continendos existimarent; aut ex timore phænomenorum aeris, secundum illud Poetæ: *Primus in orbe Deus fecit timor, ardua cœlo fulmina quum caderent.*

℞. Etiamsi extitissent reapse, aut etiamnum existerent barbari quidam populi qui nullum Deum colerent; inde non plus inferri posset, quam quod ii nefandis cupiditatibus suis obsequi, adeoque bestiarum magis, quam hominum movere vivere, accedente præsertim prava majorum institutione, quam rationem, quæ scelerum vindicem Deum stare doceret, sequi maluerint. Recole *Log.* n. 171. Ceterum nullo potest argumento satis ostendi, aut existere, aut exti-

---

» *telligat, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisve* » *vicissitudinibus tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus* » *nihil unquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab* » *aliqua mente tantos naturæ motus gubernari."*

tisse unquam id genus populos. Nam imprimis Historici, qui ejusmodi nationem meminerunt, plerumque iis vocabulis utuntur, quæ tunc solent usurpari, dum incerta narrantur; ut: *fama est*, *fertur*, *narratur*. Deinde Scriptores Græci, & Romani quaspiam Gentes idcirco traduxerunt tanquam omnis Divinitatis ignaras & hostes, quod ipsorum deos, præter quos tamen ipsi nullum aliud esse Numen credebant, non colerent. Denique Mercatoribus, qui se id expertos ajunt, non illico est habenda fides. Hi enim facile poterant in errorem induci propterea, quod forte apud quosdam populos nulla fana publica, dedicataque simulacra observarent: quo quidem ex indicio inferri non potest, ab ejusmodi populis nullum Deum fuisse adoratum. Nempe poterant id illi privatim, aut sub aperto cœlo sine ullo adparatu, strepituve præstare, quin à Viatoribus observentur: profecto similibus de causis primi quoque Christiani pro Atheis habiti sunt.

Ad Confirm. 1. Ajo, perspicaces illos Atheos optare potius ne ullus sit Deus, qui justas de nefandis ipsorum sceleribus pœnas sumat, quam ejusdem ignoratione laborare. Profecto in subitis casibus, in exitu vitæ, velut immemores adfectatæ ignorantiæ suæ, oculos in cœlum levant, trepidant, scelerumque conscientia misere divexantur. "Mentiuntur, inquit Seneca *Epist. ad Nepotian.* qui „dicunt, se non sentire Deum: nam „etsi tibi affirment interdiu, noctu „tamen, & soli dubitant." Laertius de Aristotele sic loquitur: "Deum, „inquit, sicut & Plato incorporalem „definivit, ejusque providentiam ad „cœlestia usque pertingere, ipsum „vero esse immobilem." Unde patet, Platonem, & Aristotelem in numerum Atheorum injuria referri. Quodsi forte nonnunquam minus caute de Deo locuti sint, mirandum non est: veræ fidei lumine illustrati non erant. Porro Clemens Alexandrinus observat, nonnullos Philosophos idcirco fuisse Atheis adnumeratos, quod aliquos popularium suorum Deos minus colerent; utut ceteroquin de Numinis existentia prorsus non dubitarent.

Ad Confirm. 2. ℞. Religio, ac proinde etiam notitia Dei longe antiquior est apud homines imperio civili, humanisque Legislatoribus; quemadmodum ex historiis patet. Unde Simplicius in *c.* 28. *Epitecti*: "Omnes inquit homines tam barbari, „quam Græci, tum infinito superiori „tempore, tum nunc, quamvis aliis „rationibus, Deum esse censent." Deinde si reapse homines visis naturæ phænomenis manu quasi deducti sunt ad agnitionem Numinis; id nobis minime adversatur. Cum enim ne Dei quidem ideam velimus nobis esse *innatam*; dum aimus, ipsam rationis vim naturaliter nobis insitam esse testem exstantis Numinis, sensus est: ita nos esse natura comparatos, ut insita nobis rationis vi utendo, ex ipso rerum creatarum aspectu in notitiam Dei facillime possimus devenire, imo non devenire nequeamus. Ceterum pro arbitratu suo, & prorsus temere loquitur, qui ait, primam agniti à mortalibus Numinis occasionem fuisse fulmina, quæ in terras deciderent.

411. *Dices 2.do* Olim universus pene orbis plures esse Deos arbitrabatur: si ergo communis hominum sensus evincit existentiam Dei, multitudinem quoque Deorum evincat, est necesse; atqui istud admitti nequit, ergo neque illud.

℞. Opinionem de multitudine Deorum non esse profectam à recto rationis usu, manifestum est. Nam

imprimis ante confusionem Babylonicam penitus ignota fuit idololatria. Quod autem deinde rudior plebs superstitionibus diu firmiter adhæserit, objectioni positæ nullum pondus addit. Nam etiam tum sapientiores unicum esse mundi Gubernatorem semper agnoverunt. Orpheus, ut refert Clemens Alexandrinus *lib.* 5. *Stromat.* sic canit: *Unicus est per se existens, qui cuncta creavit.* Maximus gentilis philosophus *in epist. ad D. Augustinum*, quæ in edit. veter. est 43. "Equidem, in„quit, unum esse Deum summum, „sive unicum, quis tam demens, „tam mente captus neget esse cer„tissimum? hujus nos virtutes per „mundanum opus diffusas multis „vocabulis invocamus." Orosius quoque testatur *l. 6. hist. c.* 1. Gentiles vi argumentorum, quibus deorum multitudo impugnabatur, convictos declarasse unanimiter: "se „non plures Deos sequi, sed sub „uno Deo magno plures ministros „venerari." Denique ipse D. August. *l.* 4. *de civ. Dei c.* 11. ait, Philosophos fere omnes de *unitate Dei* recte sensisse, quamvis plures Deos ut virtutes, vel partes unius Dei colerent, aut humano respectu victi, veritatem palam profiteri non auderent. Ut autem rudior plebs pro multitudine Deorum ex animo staret, evenire poterat; tum quod illa ratiocinationum ambagibus, quibus evincere solemus, unicum duntaxat esse Deum, non adsueta, potissimum auctoritate humana, consuetudineque duceretur; tum quod nequiret satis discernere Deum à qualibet superiore causa, virtute &c. Contra, ut quis agnoscere possit, aliquem Deum exstare oportere; nonnisi ea rationis vi opus habet, qua nullus, qui quidem mentis compos sit, caret. Unde Tullius quoque *l.* 1. *quæst. Tusc. c.* 13. "Multi, inquit, „de diis prava sentiunt; id enim vi„tioso more effici solet: omnes ta„men esse vim, & naturam Divi„nam arbitrantur."

§. II.

De quibusdam Dei attributis.

412 Dei essentiam in ejusdem absoluta existendi necessitate collocari posse, inde patet, quod ea necessitas reliquarum omnium Dei proprietatum, uti mox videbimus, veluti radix sit, ac fundamentum. Porro eas Dei proprietates, quæ ex ejus essentia necessario profluunt, ejusdem *attributa* vocamus. Horum alia dicuntur positiva, negativa alia. *Positiva* sunt, quæ sine ulla negatione concipimus; ut sunt, sanctitas, bonitas &c. *Negativa* nuncupantur, quæ tametsi nullam significent in Deo negationem, à nobis tamen ob intelligentiæ nostræ imbecillitatem ope negantium idearum concipiuntur; e. gr. infinitas, immensitas.

413 Propositio I. Deus est ens à se. Deus enim absoluta necessitate existit (404); ergo sufficientem existendi rationem in ipsa essentia sua continet (83. *cor* 2.): eo ipso autem est ens à se (31.)

414 Propositio II. Deus est æternus, infinitus, immutabilis. Ens enim absolute necessarium imprimis neque initium, neque finem existendi habere potest, ac proinde æternum est (84.): deinde omnes possibiles perfectiones absque ullis limitibus complecti debet (85.); quod tantundem est, ac esse undequaque infinitum (78.): est denique immutabile (86.)

415 Etsi Divinam æternitatem

instar temporis, quod initio quidem, ac fine careat, partibus tamen sibi succedentibus constet, ob imbecillitatem mentis nostræ concipiamus; ea tamen reapse nullam partium successionem, nulla dividui temporis momenta habet, sed est prorsus simplex, & individua: unde à Boetio definitur: *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Nempe ut D. August. ait *Serm.* 2. *in psalm.* 101. "Ibi nihil est præteri»tum, quasi non sit; nihil est futu»rum, quasi nondum sit; sed non »est ibi, nisi *est.* Non est ibi *fuit,* »& *erit*; quia & quod fuit, jam non »est, & quod erit, nondum est: sed »quidquid ibi est, non est, nisi *est.*"

Coroll. 1. Quidquid ergo Deo inerat ex omni æternitate, ineritque in omnem æternitatem, id totum eidem absque ulla successione, mutationeque semper inest.

Coroll. 2. Igitur in Deo nihil præteriti, nihil futuri fingi potest; denominationes *præteriti* & *futuri* reapse creatis duntaxat rebus inter se comparatis conveniunt. Unde sic Deum adloquitur idem S. August. *l.* 11. *Confess. n.* 16. "Præcedis, in»quit, omnia præterita celsitudine »semper præsentis æternitatis, & »superas omnia futura: quia illa »futura sunt, & cum venerint, præ»terita; Tu autem idem ipse es, & »anni tui non deficient."

Coroll. 3. Hinc & amor ille, quo Deus prosequitur hominem, quamdiu iste amore dignus est, & odium, quo eundem in scelera prolapsum habet, constanter Deo absque ulla vicissitudine inest. Nempe Deus in nos amore, vel odio fertur, quatenus ex ejus decreto beneficiis, præmiove digni, aut rei pœnæ reddimur: non repugnat vero, ut vi ejusdem individui, æternive decreti ob has actiones nostras certis beneficiis, præmiove digni, ob alias vero pœnæ rei fiamus.

Schol. Amor, quo nos in objectum quodpiam ferimur, est quædam animæ nostræ in illud inclinatio; odium contra est quædam declinatio ab eodem. Atque hinc est, quod in nobis amor, & odium ejusdem rei simul consistere non possint. Nempe si & odio & amore prosequeremur quoddam objectum, duæ prorsus oppositæ adfectiones in anima nostra simul inesse deberent. Aliter se res habet in Deo, ut coroll. præc. vidimus.

416 Propositio III. Deus est unicus. Ens enim absoluta necessitate existens unicum duntaxat est (89).

Schol. Quid ei respondendum sit, qui pro deorum multitudine probanda Gentilium opinionem adduceret; è n. 411 abunde patet.

417 Propositio IV. Deus expers materiæ, seu incorporeus est Deus enim undequaque infinite perfectus est (414): atqui non esset, si aliqua sui parte materiatus esset; materia enim vi cogitandi, liberaque voluntate caret (319).

418 Propositio V. Deus est ens simplex. Si enim è pluribus partibus coagmentatus esset; vel quælibet ejus pars esset ens absolute necessarium, vel quælibet contingens, vel denique alia ejus pars esset ens absolute necessarium, alia contingens. Si primum: quælibet id genus pars esset Deus infinite perfectus, cum ex absoluta existendi necessitate omnes possibiles perfectiones deducantur; atque adeo Deus non esset unicus: quod dici nequit (416). Sin alterum: ex mera contingentium partium coagmentatione deberet conflari Deus absoluta necessitate existens, quod omnino repugnat, uti patet ex iis, quæ n. 88. dicta sunt.

Si denique tertium; pars illa Dei, quæ contingens esset, posset interire, quid altera pars absolute necessaria intereat (82): ea vero pars, quæ absoluta necessitate existeret, omnino Deus esset (404); posset ergo superstes manere Deus, tametsi pars ad eum constituendum prorsus requisita interiret, quod absurdum est. *Confirm.* Propositio eo argumentandi genere, quo animam hominis simplicem esse oportere, numer. 322. ostendimus.

Schol. Si vocabulo *spiritus* designes ens incorporeum, vi intelligendi, ac voluntate præditum, Deus omnino spiritus est dicendus. Recole n. 320.

419 Ex his adparet, quam absurda fuerit Anthropomorphitarum opinio, qui Deum corporeum, humanaque figura præditum esse censuerunt. Ipse Tullius *l. 1. de natur. Deor. c. 27.* agnoscit, diis humanas formas tribui non posse. "Quis, inquit, tam cæcus „in contemplandis rebus unquam „fuit, ut non videret, species istas „hominum collatas in Deos aut con„silio quodam sapientum, quo faci„lius animos imperitorum ad eorum „cultum à vitæ pravitate converte„rent, aut superstitione, ut essent „simulacra, quæ venerantes, Deos „ipsos se adire crederent? Auxerunt „autem hæc eadem poetæ, pictores, „opifices." Sunt, qui ad hujusmodi errores defendendos auctoritate sacrorum librorum, qui videantur Deo humana membra tribuere, abutantur: at ii audiant Theodoretum *Quæst.* 20. *in Gen.* "Stolidi, inquit, non „animadverterunt, Dominum Deum „per homines hominibus loquentem, „audientium infirmitati sermones „accommodare: & quoniam nos ocu„lis videmus, virtutem ejus, per „quam videt, scriptura vocat ocu„los: & rursum audiendi facultatem „vocat aures, quoniam hisce parti„bus audimus."

420 Orthodoxæ fidei dogma est, tres esse in Deo Personas, inter se ratione *personalitatis* ipsa distinctas. Hinc tamen minime consequitur, Deum esse quoddam [illegible] compositum. Compositio enim tunc adest, quum plura entia, seu res natura distinctæ inter se consociantur ad quoddam *totum* efficiendum: Personæ vero Divinæ unam eandemque Divinam naturam habent; ac proinde non sunt tria entia inter se consociata. Sed istud ad sublimiorem Theologiam pertinet.

421 Propositio VI. Deus est omnino immensus; ita ut natura sua determinatus sit ad existendum ubique, nec ullis spatiorum limitibus circumscribi possit. Cum enim Deus infinite perfectus sit (414.); quidquid è duobus oppositis perfectius est, id eidem attribui debet: perfectius autem est ubique præsentem esse, neque ullis locorum limitibus circumscribi, quam certo cuipiam loco adfigi.

422 *Confirm.* Si Deus definito quodam loco contineretur; illic is vel necessario, vel contingenter existeret? Primum dici nequit: quæ enim ratio sufficiens fingi potest, cur Deus potius loco A, quam loco B sit ipsa natura sua adfixus? Sin autem dicatur alterum: Deus locum suum mutare potest, ac proinde non est immutabilis, quod absurdum est.

423 Sunt, qui Dei immensitatem in eo sitam esse arbitrentur, quod is non tantum omnibus creatis rebus intime præsens sit, verum etiam ultra hoc universum per imaginaria quædam spatia, quorum num. 153. meminimus in infinitum porrecta, sine ullis limitibus quodammodo diffundatur. At imprimis imaginarium spatium profecto nihil

aliud est, quam mera possibilitas spatii realis (150. & 157.): qua vero ratione posset Deus re ipsa, & *actu* existere in ejusmodi spatio, quod mere possibile est? Deinde in hac sententia quæpiam Dei perfectio penderet à re quapiam ipsi externa; nimirum immensitas Dei à spatio imaginario sine ullis limitibus protenso: quod sane de Deo dici non potest. Itaque dicendum potius est, Immensitatem Dei esse simplicem & individuam ejusdem perfectionem, ipsi internam, vi cujus determinatus sit ad hoc, ut sibi perpetuo præsentes habeat omnes res creatas, spatiaque realia, quin ullis limitibus circumscribatur: id est, quin possibilis sit tanta rerum creandarum magnitudo, cui toti, si ad existentiam perveniret, Deus intime præsens non esset.

Coroll. 1. In loco existere est obtinere quendam existendi modum *localem* (152.): cum ergo id genus mutabiles existendi modi Deo convenire non possint (414.); Deus reapse in loco non existit, sed ipse sibi locus est: quemadmodum etiam non existit in tempore, verum ipse sibi omni successione carens individua æternitas est (415.). Deus ergo *extensus* dici non potest. Unde etiam monet D. August. *Epist.* 57. "Ne »quasi spatiosa magnitudine opine»mur Deum per cuncta diffundi, si»cut aer, aut lux ista diffunditur."

Coroll. 2. Quum ergo legimus in sacris libris: Cœlum esse Dei sedem; templum Dei esse animam justi; descendisse Dominum, ut videret civitatem, & turrim &c. hæc & similia sano, infinitæque Dei perfectioni non repugnante sensu sunt accipienda. Nempe 1.*mi* sensus est: Deum peculiariter in cœlo manifestare gloriam suam, non vero, eum illic duntaxat præsentem esse. Nonne hæc legimus *Ps.* 138. "Quo ibo à spiritu »tuo, & quo à facie tua fugiam? si »ascendero ad cœlum, tu illic es: si »descendero in infernum, ades: si »sumpsero pennas meas diluculo, & »habitavero in extremis maris; illuc »manus tua deducet me, & tenebit »me dextera tua." Altero effato indicatur, quibusdam supernaturalibus gratiis, quas explicare Theologorum est, justorum animas à Spiritu Sancto foveri, quæ negentur iis, qui peccato gravi obstricti sint. Denique quod ad tertium attinet, is loquendi modus imbecillitati nostræ accommodatus est; quemadmodum de membris humanis pariter Deo attribui solitis locuti sumus n. 419. Nimirum, quum dicitur Deus ad quempiam locum advenire, non aliud significatur, quam novum ipsius in ejusmodi loco opus, aut peculiaris sui met manifestatio.

424 Ipsos veteres solius naturalis rationis ductu agnovisse Immensitatem Dei, vel ex illo Virgilii, *Jovis omnia plena*, intelligi potest. Sunt tamen, qui Deo indignum censeant esse, ut is sordibus ipsis quibusque intime præsens sit; ac proinde Immensitatem ejusdem in eo duntaxat esse reponendam, quod in omni loco agere possit, nihilque sit uspiam, quod ejus scientiam effugiat; tametsi reapse non sit ubique præsens. At præsentiam Dei, proprio etiam sensu acceptam nullis locorum terminis posse circumscribi, evincunt argumenta, quæ n. 421, & 422 attulimus. Porro res illæ, quas nos fœdas dicimus, nonnisi comparate ad sensus nostros, ideasque tales sunt; secundum se vero nonnisi elementorum certa ratione consociatorum congeries esse possunt. Cur ergo indignum esset Deo, iis intime præsentem esse, si non erat indignum easdem decernere, efficereque? an putas ejusmodi sordes purissimo spiritui adhæ-

rescere posse, si eæ nec lucis radios, qui tamen materiati utique sunt, à se reflexos inficere possunt?

CAPUT SECUNDUM.

De intellectu, voluntate, & omnipotentia Dei.

425 Cum Deus omnes possibiles perfectiones absque ullis limitibus in se complectatur; perfectissimo intellectu, rationeque polleat, est necesse. Quod ipsum vel ex admirabili hujus universi constitutione intelligere licet. Hinc.

426 I. Deus cumulatissimam rerum omnium scientiam habeat, oportet; ita ut omnia, quæ sunt, fuerunt, & erunt, imo etiam quæ esse possunt, omnem denique veritatem unico actu distinctissime intelligat, quin ejus ideis quidquam confusionis sit aspersum. Secus enim intellectu, rationeque perfectissima, qua nimirum perfectior excogitari nequeat, præditus nequaquam esset.

427 II. Intellectus Divinus non est mera potentia intelligendi, seu intellectiones eliciendi, sed est essentialis determinatio Naturæ Divinæ ad intelligendum omne id, quod intelligi potest: seu, ut dici amat, est *actus purissimus*. Quod enim nos non simus ipsa natura nostra determinati ad hoc, ut earum rerum, quas scire possumus, intellectio constanter insit in mente nostra, ac proinde quod intellectus noster in mera intellectiones eliciendi potentia consistat; id profecto in nobis magni defectus argumentum est.

428 III. Vis ratiocinandi, item memoria quidpiam imperfectionis adnexum habent: qui enim ratiocinatur, duas notiones cum tertia comparat, ignotam veritatem hac ratione in lucem protracturus; qui vero memoria utitur, instaurat ideas, quas jam aliquando habuit: quod utrumque cujusdam sane imbecillitatis in agente signum est. Igitur Deus ratiocinandi vim, & memoriam non *formaliter*, ut ajunt, verum *eminenter* in se complectitur (85 *Schol.*) Atque istud de aliis quoque perfectionum generibus, in quarum notione quidpiam imperfectionis relucet, intelligendum est, ut loco cit. diximus.

429 De voluntate Divina hæc cumprimis notato. I. Cum perfectiones omnes, quæ quidem *puræ* sint (85. *Schol.*), absque ullis limitibus Deo inesse debeant, & à notione voluntatis ii defectus, quibus voluntas creata subjecta est, semoveri possint; palam est, Deo voluntatem, eamque perfectissimam attribuendam esse.

430 II. Voluntas Dei est immutabilis, simulque in iis, quæ extra se agit, liberrima. Ratio 1.*mi* patet. Secus enim Deus non esset immutabilis. Ratio 2.*di* est. Si enim Deus insuperabili aliqua necessitate impelleretur ad quidpiam efficiendum; ea necessitas vel proveniret à fato quopiam, vel ab ipsis rebus efficiendis, vel denique ipsa Natura Divina esset necessitatis illius radix. Primum dici nequit. Cum enim solus Deus sit *ens à se*, in cujus efficientia contineatur ratio sufficiens ceterorum entium procreandorum; profecto ante decretum Voluntatis Divinæ nulla causarum constituta series, nullum fatum cogitari potest. Neque potest dici alterum. Si enim ne nostram quidem voluntatem potest ullum finitum bonum ad se amplectendum insuperabili vi flectere; quanto magis necesse est, ut interminata sit ea bonitas, quæ Di-

vinam voluntatem necessario flectat? quæ autem res à Deo distincta fingi potest, quæ bonitatem habeat interminatam? Denique non potest dici tertium. Cum enim Deus omnes possibiles perfectiones absque ullis limitibus in se complectatur; se solo beatissimus est, ut prorsus nullo alio ente egeat: quo igitur fundamento finges in eo aliquam naturæ necessitatem, qua ad condendas res ineluctabiliter impellatur? Argumento Leibnitzii, è principio rationis sufficientis ducto, nullum inesse pondus, vel è num. 213, 214, & 215 patet.

Coroll. Igitur Deus decreta sua immutare, novaque consilia inire non potest; adeoque omnia, quæ eveniunt, ex omni æternitate unica voluntate constituit. Hinc diversa illa decreta, quæ in Deo concipimus, nonnisi ratione nostra distinguuntur. Horum alia nominamus *positiva*, alia *permissiva*. Illa sunt, quibus Deus bona vult; hæc vero, quibus mala evenire patitur.

431 *Dices 1.mo* Si decreta Divina sunt æterna, & simul immutabilia; frustra vota facimus ad Deum, frustra preces fundimus. Si enim ea, quæ petimus, nobis elargiri decrevit; elargietur, tametsi eum precibus non fatigaverimus: sin autem ex omni æternitate decrevit eadem nobis denegare; nullis precibus nostris flecti poterit, ut æternum decretum suum immutet.

℞. Tametsi Deus ex omni æternitate decreverit, beneficia quædam conferre nobis, alia vero negare; id tamen facit is prælucente sibi cognitione, quam de liberis nostris actionibus futuris habet: ita ut multa, quæ nobis conferre liberrime decrevit, minime decrevisset, nisi preces nostras ad se fundendas prævidisset. Cum ergo Deus non possit prævidere preces nostras, nisi eæ à nobis suo tempore reapse fundantur; facile quisque adsequitur, à nobis ad eum preces non in cassum mitti.

432 *Dices 2.do* Summa Dei libertas cum immutabilitate decretorum non videtur posse conciliari. Eorum enim volitio, quæ Deus efficere libere statuit, in ipso contingens est; ergo mutabilis

℞. Volitio rerum contingenter existentium Deo contingens omnino esse debet: Deus enim eas res efficere non decerneret libere, si non decerneret ita, ut non decernere possit. Eadem nihilominus volitio immutabilis est: illa enim ex omni æternitate inest Deo, neque unquam in omnem æternitatem variari potest.

433 *Dices 3.tio* In sacris libris legimus, Deum pœnituisse quarundam suarum actionum; ergo voluntas Dei mutabilis est. ℞. Sacros libros ejusmodi locis tropica locutione uti, eaque Divinæ voluntatis decreta exprimere, ex quibus similes effectus consequantur iis effectibus, qui apud nos consequi solent, dum pœnitentia rei cujuspiam tangimur. Nempe sacri libri frequenter effata sua ad ideas nobis familiares accommodant. Sic etiam dicitur in sacris libris Deus quidpiam *desiderare*; quod ad ejus effectionem apta media constituerit: *irasci* cuipiam; quod eundem statuerit punire: non vero quasi Deus his, & id genus aliis adfectibus, qui profecto in eus infinite perfectum cadere nequeunt obnoxius esset.

434 Omnipotentia est illa vis, qua omne id, quod existere aptum est, ad existentiam perduci queat. Hujusmodi vim in ente infinite perfecto agnoscendam esse clarum est. Hinc quidquid pugnantia in se non complectitur, id omne à Deo effici potest.

435 Dixi: *quidquid pugnantia in se non complectitur.* Nam si id, quod pugnantia in se continet, ad existentiam perduceretur; existeret, & simul non existeret (17): ergo etiam Deus, illud ad existentiam perducendo, ageret, & simul non ageret. Cujusmodi actio cum absurda omnino sit, enti infinite perfecto convenire posse non debet. Itaque prorsus non officit omnipotentiæ Dei, quod nequeat ea efficere, quæ pugnantia in se complectuntur. "Unde convenientius dicitur, quod ea (*nimirum quæ pugnantia continent*) non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere." S. Thom. *part.* 1. *q.* 25 *art.* 3.

Schol. 1. Ex eo tamen, quod nos non adsequamur, quanam ratione possit à Deo quidpiam effici, non illico sequitur, id pugnantia in se continere: nam e. g. quis gloriari audeat, se pervidere, quanam ratione mundus hic ex nihilo condi potuerit? Temerarius ergo esset, qui hoc, aut simili modo ratiocinaretur: nos non concipimus, quomodo possit à Deo hoc, aut illud effici; dicendum ergo est, id ab eo effici nequaquam posse. Recole n. 21. *Schol.*

Schol. 2. Ipsi veteres solius naturalis rationis ductu agnoverunt, Deum esse debere omnipotentem. "Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum, inquit D. Augustinus; sed da mihi Paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest: negare Omnipotentem Deum non potest." *Serm.* 139 *de tempore cap.* 2. Unde etiam nomen *Patris omnipotentis* apud gentiles quoque Poetas frecuenter legimus.

436 Vis de nihilo quidpiam efficiendi *vis creandi* nominatur. De hac quæri solet, an ea soli Deo, vel etiam causis creatis convenire possit. Nos eam vim soli Deo propriam esse, jam num. 331 innuimus; quod hoc argumento confirmari potest: causa vi creandi prædita omnipotens sit, oportet; ergo quemadmodum omnipotentia, ita vis quoque creandi soli Deo est propria. *Prob. ant.* Res, quæ nondum existit, effectioni sui non resistit, nec aliud quidpiam fingi potest, quod causam creandi vi gaudentem ab agendo impediat, ergo si quæ causa polleat vi, quæ uni rei creandæ par sit, non est, cur non ceteras quoque res quaslibet creare possit; eo ipso autem patet, causam, quæ creandi vi polleat, omnipotentem esse debere.

CAPUT TERTIUM.

De operationibus Dei.

§ I.

An Deus mundum assidue conservet, concurratque ad singulas causarum creatarum actiones?

437 *Conservatio* est ea actio, qua fit, ut res productæ existere pergant. Alia dicitur indirecta, directa alia. Quodsi res à Deo conditæ hoc duntaxat è capite perdurarent, quod eas Deus in rerum natura toleret, nec ipsis existentiam positive velit adimere; *indirecte* conservarentur à Deo: *directe* vero tunc conservantur ab eodem; si ad earum perdurationem necesse sit, ut positivum illud Divinæ voluntatis decretum, cujus efficacitate de nihilo conditæ sunt, continuetur; ita ut ipsarum conservatio reapse non aliud sit, quam continuata, singulisque

momentis quasi iterata earundem procreatio. Jam dubitari nequit, ad rerum perdurationem necessarium esse, ne Deus iisdem existentiam *positive* adimere velit, adeoque ut illas *indirecte* conservet: si enim ille conditas à se res in nihilum redigere velit, quis infinitæ ipsius potestati resistet? Id unum ergo hoc loco quæritur, utrum ad rerum perdurationem requiratur, ut eæ à Deo *directe* quoque constanter conserventur?

438 Propositio I. Ad perdurationem rerum creatarum constanter necessaria est ea actio Divina, quæ *conservatio directa* nuncupatur; atque adeo Deus mundum assidue conservat. Nam imprimis esse ens adeo necessarium, & sufficiens, ut reliquorum omnium existentia non solum primo creationis momento, verum deinceps quoque constanter à positivo ejusdem decreto dependeat, est peculiaris, eaque pura perfectio; ac proinde Deo tribuenda. Profecto amplitudinem Majestatis Divinæ multum commendat id, quod ejusdem continua id genus actione egeamus, qua firmet nos, ne recidamus in nihilum. Deinde si res conditæ non egerent directa conservatione Divina; ratio sufficiens, cur non abeant in nihilum, in iis ipsis contineretur: atqui istud sane dici non potest. Quid enim reperitur in iis, ex quo dicta ratio sufficiens erui possit? an quod illæ jam ad existentiam pervenerint? ac si eam rationem sufficientem hinc eruere velis, hoc sane modo ratiocineris, oportet: *res, quæ ipsa essentia sua primam existentiam nonnisi actione Divina, quæ creatio dicitur, adipisci possunt, jam existunt; ergo existentiam continuatam absque id genus actione Divina, quæ continuata creatio dici solet, adipisci poterunt.* Quam argumentandi rationem robore carere, quis non videt?

Coroll. I. Igitur quamdiu continuatur Divina actio, quæ conservatio directa nuncupatur, perdurant res conditæ; cessante vero illa hæ illico in nihilum abeant, est necesse. Unde S. Chrysostom. *Homil. de Paralytico.* "Non solum creaturam produxit Deus sed productam etiam „fovet, & conservat — ac si ejus ef„ficientia destituantur, abeunt, & „difduunt, ac pereunt" &c.

Coroll. 2. Patet ergo, annihilationem entis non esse aliud, quam cessationem conservationis directæ, seu continuatæ creationis. Hinc quemadmodum vis creandi, ac proinde etiam conservandi soli Deo propria est; ita etiam vis entia annihilandi soli Deo competere potest. Recole n. 331, ubi alio quoque argumento probavimus, neque creationem rei, neque annihilationem posse causis creatis attribui.

439 *Dices* 1.*mo* Ens existentiam suam, quam semel adipiscitur, non amittit, nisi ea ipsi externæ cujuspiam causæ actione adimatur; ergo mundus non indiget ea conservatione, quæ directa dicitur, sed sufficit, si à Deo, ut ajunt, indirecte conservetur. *Ant.* Amplissima inductione probari posse videtur. e. g. Horologium, etsi Artificis opera eguerit, ut ad existentiam perveniat; ubi tamen semel constructum est, ad id, ut in rerum natura perseveret, nullo amplius Artifice opus habet; modo absint causæ, quæ in eo partium nexum dissolvant &c. *Confirm.* Mentes humanæ sunt natura sua immortales: atqui potius natura sua mortales dici deberent, si natura sua ita tenderent in nihilum, ut ne minimo quidem tempusculo durare queant absque positiva id genus actione Divina, qua fulciantur, vindicenturque ab interitu; ergo saltem hæ dicta conservatione directa haud egent,

℞. *D. ant.* Ens existentiam suam &c. idque propriis entis viribus est attribuendum *N. ant.* idque ob eam conservationem Divinam, de qua agimus, evenit *C. ant.* & *N. cons.* Hanc sibi legem præstituit Auctor naturæ, ut res ad existentiam semel perductas eousque conservet, quoad externarum causarum actio easdem destrui non exegerit, aut earum existendi finis non cessaverit. Atque hinc dimanat, quod ens existentiam suam, quam semel adipiscitur, non amittat, nisi ea ipsi externæ cujuspiam causæ actione adimatur. Certe si dicta Dei lex non staret, aut contra, quam ea postulet, Deus actionem suam conservativam enti denegaret; istud illico abiret in nihilum, ut è probatione propositionis patet. Hinc horologium quoque ideo perdurat, etiam cessante Artificis operatione, quod à Deo conservetur, quoad ejusdem destructionem causæ naturales non postulaverint.

Ad Confirm. C. maj. N. min. Natura enim immortale non illud est, quod conservatione Divina non eget, sed quod servato communi naturæ cursu vita privari non potest, seu cujus vita servatis naturæ legibus à Deo stabilitis, in omnem æternitatem ab eodem Deo conservari debet.

440 *Dices 2.do* Ad omnipotentiam Dei pertinet, ut perfectiores res producere possit, ac producant homines; cum ergo horum opera, cessante artificis actione, perdurare soleant, potiore jure dicendum est de Deo, ab eo posse ejusmodi res procreari, quæ perdurent cessante etiam actione Conditoris, adeoque directa conservatione Divina non egeant.

℞. *D. ant.* Ad omnipotentiam Dei pertinet, ut perfectiores res producere possit, ac producant homines, quæ tamen res cuipiam Divinæ perfectioni non repugnent *C. ant.* tametsi res producendæ repugnent cuidam Divinæ perfectioni *N. ant.* & *cons.* Artefacta humana, non secus ac Divina, illico in nihilum suum abirent, nisi à Deo continenter conservarentur; adeoque hac ex parte artefacta humana & Divina sunt paria: at neque pertinet ad Omnipotantiam Dei, posse res condere artefactis humanis hoc in genere præstantiores, seu tales, quæ non egeant assidua conservatione Divina: condere enim hujusmodi ens repugnat ei perfectioni Divinæ, vi cujus Deus tam necessarium ens est, ut reliquorum omnium existentia non solum primo creationis suæ momento, verum deinceps quoque constanter à positivo ejusdem decreto dependeat. Hoc tamen non obstante, Deus res artefactis humanis longe perfectiores condere potest: quia potest res condere, quæ imprimis longe plura, ac præstantiora perfectionum principia habeant, iisque longe magis consentiant, quam artefacta humana; quæ deinde longe minus possint à causis contrariis destrui, ac ista &c.

441 Ens *concurrit* ad entis alterius actionem, si *agendo* contineat aliquam rationem, cur illud agat. e. g. Qui alterum consilio, adhortatione, aut imperio ad agendum inducit, item qui alteri ad agendum necessaria suppeditat &c., ad ejusdem actionem *concurrere* dicitur. Quæritur hoc loco, utrum Deus ad omnes generatim actiones creaturarum, & quomodo concurrat! Ad quod priusquam respondeamus, notandum est, concursum Divinum dici *immediatum*, si Deus non minus ad existentiam effectus, quam ad existentiam causæ concurrat; *mediatum* autem, si concursus ille in eo duntaxat consisteret, quod Deus entibus à se conditis efficacitatem agen-

di largitus sit, cetera illis relinquens.

442 Propositio II. Deus ad omnes entium creatorum actiones concurrit; & quidem concursu immediato. *Prob. 1.ma pars.* Deus positiva actione (quæ *conservatio directa* dicitur) conservat singula entia creata, eorumque omnem agendi vim, idque etiam eo ipso momento, quo entia illa agunt (438): ergo ad omnes eorundem actiones concurrit (*præc.*).

Prob. altera pars. Causa creata, quemadmodum quovis momento accipit à Deo existentiam per conservationem, ita per eandem conservationem quovis momento accipit ab eodem & agendi vim, & eum quoque statum suum, quem agendo obtinet: ergo Deus non minus concurrit ad existentiam effectus, quam ad existentiam causæ: eo ipso autem ad omnes entium creatorum actiones concurrit concursu immediato (*præc.*).

443 *Dices.* Si Deus ad omnes creatorum entium actiones concurreret concursu immediato; concurreret tam ad bonas, quam etiam ad malas eorundem actiones: ergo malæ creaturarum actiones æque Deo adscribendæ essent, ac bonæ, consequenter Deus peccatorum Auctor habendus esset: quod tamen ejus infinitæ Sanctitati adversatur.

℞. C. *ant.* N. *cons.* Nam Deus, tametsi ad omnes creaturæ actiones, etiam ad ipsa peccata, generatim concurrat, ut creaturæ libertatem illæsam conservet; is tamen peccata minime eligit, sed ea potius aversatur, prohibet, punit: igitur creaturæ peccata Deo adscribenda minime sunt; peccati enim auctor is dicendus est, qui illud propria voluntatis electione perpetrat. Unde etiam dictus generalis concursus Divinus comparate ad actiones moraliter malas est mere *physicus*, non *moralis*, ac proinde non *cooperatio*, sed *permissio* dicendus. Aliter sentiendum est quoad actiones creaturarum moraliter bonas: cum enim ad has Deus præter generalem illum concursum etiam specialiter concurrat, constituendo legem, suadendo, hortando, præmia, & pœnas proponendo, aliaque adjumenta subministrando; jure pro earundem auctore habetur.

Urg. Si homo vel voluntate permittendi concurrat ad alterius peccatum, jam istud illi jure adscribitur: ergo Deo quoque adscribenda essent peccata creaturarum, si is ad ea immediate concurreret, tametsi ad ea non concurreret elective. ℞. C. *ant.* N. *cons.* Dispar ratio est. Nos enim legi, quæ alienorum peccatorum impeditionem præcipit, subjecti sumus: quamvis etiam in nobis obligatio impediendi aliena peccata aliquam nonnunquam exceptionem patitur, ut Theologi morales docent. Ex adverso Deus nulla id genus lege tenetur: deinde is permittendo peccata agit convenienter naturæ entium à se conditorum; certe si nequiret Deus peccata permittere, nos nec pœna, nec præmio digni esse possemus: denique Deus hominum sceleribus permissis ad optimos, sanctissimosque fines uti consuevit. Plura hanc in rem adferemus inferius.

§. II.

De providentia Dei.

444 Nomine *Providentiæ Divinæ* ea Dei voluntas venit, qua ille universa conservat, ad singulas entium creatorum actiones concurrit, omnia denique gubernat ita, ut singula ad certos fines bonos referat, optimaque ad eos adsequendos adjungat media.

445 PROPOSITIO. Deus providentia sua mundum administrat, ita ut nihil in hoc universo sit, quod Divinæ providentiæ non subjiciatur. *Prob.* 1.*mo* Imprimis Deus universa conservat (438), deinde ad singulas rerum creatarum actiones concurrit (442), denique omnia gubernat ita, ut singula ad certos fines bonos referat, aptaque ad eos adsequendos media adjungat: atqui his continetur providentia Divina (*præc.*); ergo Deus providentia sua &c. *Prob.* 3. *memb. maj.* si Deus dicto modo mundum non gubernaret; id vel propterea esset, quod non sciat ita eum gubernare, ut singula referat ad certos fines bonos, mediaque iis finibus accomodata statuat, vel quod non possit ista præstare, vel denique quod nolit. Jam duo priora dici non possunt, cum Deus cumulatissimam rerum omnium scientiam habeat, sitque præterea omnipotens: at neque potest dici tertium, quod ostendo. Quidquid in rerum natura fit, id debet fieri vel positive volente Deo, vel saltem consulto permittente: ut enim hoc modo res omnes à Deo dependeant, summa ejus perfectio, ac dominatus postulat. Porro insipientis est quidquam velle, aut consulto permittere absque ullo fine; insipientis item, vel saltem infinita scientia, potentiaque carentis est, non constituere media, quæ apta sint ad adsequendos fines, à se præstitutos: denique Deus optimus nequit malo fine quidquam velle, aut consulto permittere. Fatendum ergo est, velle Deum, singula, quæ fiunt, referre ad certos bonos fines, hisque adsequendis accommodata media constituere: ac proinde mundum ab eodem dicto superius modo gubernari.

446 *Prob.* 2.*do* Ipsa hominibus naturaliter insita rationis vis docet, mundum providentia Divina regi. Si enim graviori aliqua necessitate premamur, vita, vel aliæ res nostræ periclitentur; mox suspicimus in cœlum, ad Deum vota facimus, opem imploramus. Unde vero istud, nisi quia persuasum nobis est, mundum Deo curæ esse, quidquid evenit, eo volente, aut permittente fieri? id est, nisi quia mundum Divina providentia regi, tacite sentimus? "Si dii neque possunt nos juvare, inquit Tullius *l.* 1. *de Nat. Deor. c.* 2. neque volunt, nec omnino curant, nec, quid agamus, animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit; quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?" "Item Salvianus *lib.* 1. *de Gubern. Dei.* Si negligit Deus hoc in seculo genus humanum, cur ad cœlum quotidie manus tendimus? cur orationibus crebris misericordiam Dei quærimus?—nulla est enim nobis ratio precandi, si spes tollitur impetrandi."

447 *Confirmatur* argumento S. Joannis Damasceni *lib.* 2. *de Fide*, c. 29. "Natura, inquit, bonus est (*Deus*) & sapiens. Igitur, quatenus est bonus, providet; qui enim non providet, non est bonus. Nam & homines, & bestiæ propriorum fœtuum providentiam habent naturali quodam instinctu, & qui non providet, vituperari solet. Quatenus autem sapiens est, optime rebus prospicit."

Coroll. 1. Igitur objectum Divinæ providentiæ amplissimum est: nempe "attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter." *Sap.* 8. Quod ipsum aliis quoque locis frequenter testantur sacri libri. Sic Matth. 6. legimus: "Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque con-

„gregant in horrea, & Pater vester „cœlestis pascit illa.... Considerate „lilia agri, quomodo crescunt, non „laborant, neque nent.... Si autem „fœnum, quod hodie est, & cras „in clibanum mittitur, Deus sic ves„tit, quanto magis vos modicæ fi„dei? &c."

Coroll. 2. Tam bona, quam mala ad providentiam Divinam referenda sunt: nam sive bona largiatur, sive mala pœnæ infligat, seu denique mala culpæ permittat; id sanctissimos ob fines providentissime agit, tametsi nos arcana ejus consilia non adsequamur.

448 *Obj.* 1.*mo* Si mundus Divina providentia administraretur, tot in eo mala nequaquam reperirentur. Sic enim Epicurus apud Lactantium *lib. de ira Dei c.* 13. "Deus „aut vult tollere mala, & non po„test; aut potest, & non vult; aut „neque vult, neque potest; aut & „vult, & potest. Si vult, & non „potest, imbecillis est; quod in „Deum non cadit. Si potest, & non „vult; invidus: quod æque alie„num à Deo. Si neque vult, neque „potest; & invidus, & imbecillis „est: ideoque neque Deus. Si vult, „& potest, quod solum Deo con„venit; unde ergo sunt mala? aut „cur ea non tollit?"

Ante responsionem nota, mala in tres classes tribui possunt; nimirum in metaphysica, physica, & moralia. *Malum metaphysicum* est differentia à summa, & infinita perfectione. *Physicum* sunt morbi, adflictiones animi, incommoda denique, quæ substantiæ vita præditæ tolerant. *Morale* est libera legis transgressio, sive peccatum. Jam de tribus his malorum classibus singillatim respondeamus Epicuro. Itaque

Si 1.*mo* de malis metaphysicis sermo sit, ℞. hæc Deus à rebus creatis removere non potest, adeoque nec vult. At inde non est consequens, eum esse imbecillum, & invidum. Nam imprimis ex eo, quod Deus nequeat ea efficere, quæ repugnant, nulla in eum redundat imbecillitas (435): repugnat autem, ut creata res malo metaphysico non sit, obnoxia, id est, ut infinita perfectione gaudeat. Deinde cuivis imperfectæ rei longe melius est esse, quam non esse; igitur cujusvis rei procreatio beneficentiam potius, & bonitatem Dei commendat, quam ut ullius in eodem invidiæ argumentum esset.

Si 2.*do* sermo sit de malis physicis, ℞. hæc Deus absolute potuit à rebus creatis removere, sed noluit. Neque tamen recte infert hinc Epicurus, Deum esse invidum. Hæc enim mala in ipsa natura rerum conditarum habent originem; compensanturque voluptatibus & commodis, quibus perfruuntur eædem illæ substantiæ vita præditæ, quæ dictis malis obnoxiæ sunt. Porro quod ad nos homines attinet: præterquam quod juxta peccati originarii, ceterorumque, in quæ prolabimur, pœna sint mala nostra physica; ea cum innumeris moralibus bonis connectuntur. Nempe imprimis, quum animum subit cogitatio tot sinistrorum casuum, quibus adimi nobis vita possit; admonemur identidem, ut de integritate vitæ, reddendaque gestorum ratione semper cogitemus: deinde occasio sunt exercendarum pulcherrimarum virtutum; animum à fluxis hujus mundi bonis avocant, adque sempiterna sectanda incitant; eluendis peccatis nostris serviunt &c.

Si denique 3.*tio* de malis moralibus, seu peccatis loquamur, ℞. potuisse Deum impedire, ne ulla peccata perpetrentur, maluisse tamen

eadem permittere, idque ob fines sanctissimos; ita ut ex hac permissione nulla in eundem imperfectio redundet. Certe si Deus voluisset impedire omnia peccata; necesse fuisset, ut vel nulla condat entia intellectu, rationeque prædita, vel nullas iis leges morales constituat, vel denique ipsis adimat libertatem: si ergo horum nihil est Deo necessarium vi summæ suæ perfectionis; neque erit eidem necessaria impeditio peccatorum: atqui nihil sane eorum potest ipsi necessarium esse vi suæ perfectionis infinitæ, quod per partes ostendo. 1) Si quodpiam entium genus condere decuit Deum, profecto cumprimis decuit condere entia ratione prædita: tum quia in his maxime elucet ipsius bonitas, ac beneficentia; tum quia hæc sola possunt Dei perfectiones è contemplatione rerum creatarum agnoscere, ejusdemque majestatem suspicere, celebrari, venerari. Igitur è summa Dei perfectione prorsus non sequitur, ab eo non debere condi entia ratione prædita. 2) Summa Dei sapientia postulat, ut is entibus ratione præditis, quæ condit, præcipiat ea, quæ ad finem ipsis præstitutum necessaria sunt; vetet vero illa, quæ fini illi adversantur: ergo moralium legum constitutio deducitur potius ex summa Dei perfectione, quam ut cum illa pugnet. 3) Si Deus entia ratione prædita expoliaret libertate; imprimis naturæ ordinem inverteret, cum omni enti ratione prædito, simulque finito libertas hæc natura sua insit: deinde adimeret nobis occasionem bene merendi, sibi autem tot suis perfectiones manifestandi, ut misericordiam, justitiam &c. Unde Doctor Angelicus *lib.* 3. *contr. Gentil.* c. 71. "Si ergo, in„quit, malum totaliter ab universi„tate rerum per Divinam providen„tiam excluderetur; oporteret et„iam bonorum multitudinem dimi„nui." Igitur ne id quidem pertinet ad summam Dei perfectionem, ut nos exspoliet libertate. Non est ergo, cur Deus mala moralia in mundo permittere non possit. "Si„cut mali homines, inquit S. Au„gust. *Serm.* 110. *de Diversis*, male „utuntur creaturis bonis; sic Crea„tor bonus bene utitur hominibus „malis.—Pictor novit, ubi ponat ni„grum colorem, ut sit decora pic„tura; & Deus nescit, ubi ponat, „peccatorem, ut sit ordinata crea„tura?"

Urgeb. Cum Cotta apud Ciceronem *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 31. "Si „homines rationem bono consilio à „diis immortalibus datam in frau„dem, malitiamque convertunt; non „dari illam, quam dari humano ge„neri, melius fuit. Ut si medicus „sciat, eum ægrotum, qui jussus „sit vinum sumere, meracius sump„turum, statimque periturum; mag„na sit in culpa: sic vestra ista pro„videntia reprehendenda, quæ ra„tionem dederit iis, quos scierit ea „perverse, & improbe usuros. Nisi „forte dicitis eam nescisse."

℞. Prævidisse Deum, complures homines ad perniciem suam abusuros ratione, neque tamen providentiam ejus hoc ex capite impugnari posse. Cum enim is eam nobis naturam indiderit, qua duce veram felicitatem adpeteremus, omnemque miseriam aversaremur; dubitare non possumus, eum sincere velle nostram felicitatem; ad quam consequendam sufficientia etiam adjumenta nobis suppeditat: quodsi ergo his liberrime abutatur homo, quo jure in Deum rejicitur culpa? cur eam infelicitatem, quam pro arbitrio suo in caput suum accersit pec-

cator, non suæ unius malitiæ adscribit? Quod allatum medici exemplum attinet, dispar ratio est. Medicus enim lege adstringitur, ut omni eo, quo potest, modo ægrotum sanitati restituere studeat. Contra quis a supremo, absolutoque mundi Domino exigat, ut is omni eo, quo potest, modo felicitatem cujuspiam hominis curet? an non summa veneratione dignus est vel ideo, quod singulos nos felices esse cupiat, sufficientiaque ad veram beatitatem adipiscendam subsidia nobis administret? Profecto si quis ex eo capite neget providentiam Dei, quod is liberam peccandi potestatem relinquat hominibus; ille negat Deum providum esse posse, nisi simul ita constrictum, ut neque bene meritos præmiandi, neque in peccatores misericordiam, lenitatem, aut justitiam manifestandi occasionem unquam habere possit: quod nimium esse, nemo non videt.

449 *Obj.* 2.do Constans experientia testatur, multos probos hac in vita plurimis, maximisque cum calamitatibus conflictari; ex adverso multos impios rebus omnibus adfluere, prosperamque agere vitam: atqui hæc cum providentia Dei nequeunt conciliari; quod sic *probo.* Deus natura sua justus est: si ergo res nostras curaret, non sineret sceleratos esse feliciores probis, virtutique deditis hominibus; ac proinde quod sinat, id cum ejusdem providentia haud potest conciliari.

℞. C. *maj.* N. *min.* Ad prob. C. *ant.* D. *cons.* Non sineret sceleratos esse tam in hac vita, quam etiam post mortem feliciores probis C. *cons.* Non sineret sceleratos in hac vita feliciores esse probis, posito, quod post mortem hi præmiis, illi vero suppliciis sint adficiendi *N. cons.* "Placuit Divinæ providentiæ, inquit D. August. *l.* 1. *de Civ. Dei* „c. 8. præparare in posterum bona „justis, quibus non fruentur injusti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona, & mala utrisque voluit esse communia: ut nec bona „cupidius adpetantur, quæ mali „quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque adficiuntur." Adde: probi quoque leviores culpas contrahere solent; ob quas si hac in vita plectantur, felices censendi sunt; ex adverso improbi quoque aliqua recte agunt, ob quæ aliquo prœmio digni sint; adeoque cum post mortem nihil boni sperandum habeant, non mirum, si providus, justusque Deus caduca hujus vitæ bona ipsis elargiatur.

Urgeb. Si hæc ita se habent, cur Deus aliquos impios hac etiam in vita punit, non item alios? cur quibusdam probis hujus quoque vitæ dies prosperos esse vult, non item omnibus? ℞. Id ipsum est manifestum Divinæ providentiæ argumentum. "Nam si nunc omne peccatum „manifesta plecteretur pœna, inquit idem S. Doctor *loc. cit.* nihil „ultimo judicio reservari putaretur—Rursus si nullum peccatum „nunc puniret aperte Divinitas; „nulla esse providentia Divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam „petentibus concederet; non ad eum „pertinere ista diceremus. Itemque „si omnibus eas petentibus daret; „nonnisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur, „nec pios faceret talis servitus, sed „potius cupidos, & avaros." Ceterum cur definite hic aut ille homo hos, aut illos Divinæ providentiæ effectus experiatur, scrutari non est nostrum "Homo sum, inquit Sal-

„vianus *l.* 3. *de Gubern. Dei*, non „intelligo, secreta Dei investigare „non audeo, & ideo etiam attenta„re formido; quia & hoc ipsum ge„nus quasi sacrilegæ temeritatis est, „si plus scire cupias, quam sina„ris... Quid me interrogas, quare „alter major sit, alter minor? alter „miser, alter beatus? alter fortis, „alter infirmus? qua causa quidem „hæc Deus faciat, non intelligo; „sed ad plenissimam rationem abun„de sufficit, quod à Deo agi ista „demonstro."

450 *Obj.* 3 *tio* Quoniam observantia moralium naturæ legum necessaria est homini veram felicitatem adsequi cupienti, ad Divinam providentiam, si quæ daretur, pertinuisset, eas leges omnibus ratione utentibus sufficienter promulgare: atqui reperiuntur sane plurimæ nationes, quæ morales naturæ leges ignorent; ergo providentia Divina non datur. *Prob. min.* Reperiuntur complures nationes, quæ pecudum instar vivant, eaque pro honestis habeant, quæ moralibus naturæ legibus prorsus adversantur: eæ ergo morales naturæ leges prorsus ignorant.

℞. *D. maj.* Ad Divinam providentiam pertinuisset, morales naturæ leges quoad prima, & universalia principia omnibus ratione utentibus sufficienter promulgare *C. maj.* etiam quoad conclusiones remotiores, quæ variis ratiociniis deducuntur ex primis illis, universalibusque moralium naturæ legum principiis *N. maj.* sic *dist. min. N. cons.* Prima, universaliaque moralium naturæ legum principia, e. g. Deum esse colendum, parentes honorandos &c. ita promulgantur per ipsam rationem, ut nullus omnino rationis compos ea citra culpam ignorare possit: at quod conclusiones remotiores, quæ ex generalibus illis principiis ratiocinando deduci debent, idque sæpe non sine magnis difficultatibus, omnibus ratione utentibus non æque promulgentur, profecto Divinæ providentiæ nihil detrahit. Cum enim morales naturæ leges cuivis per rationem modo ipsi accommodato promulgandæ fuerint, hoc modo rem confici oportebat; sique hanc ob causam quispiam erret, errat citra culpam, nec error ex ignorantia invincibili oriundus eum à vera felicitate impediet.

Ad prob. ajo: barbaræ illæ nationes, quæ pecudum instar vivere dicuntur, si reapse ita pravis adfectionibus se se abripi patiantur, ut vitam nec primis quidem naturæ legum principiis studeant conformare, culpandæ omnino sunt, suamque infelicitatem malitiæ suæ, non defectui providentiæ Divinæ attribuere debent: ea enim principia citra culpam prorsus ignorare, si rationis compotes sunt, omnino nequeunt. Quodsi autem ex invincibili earum legum, quæ subtilius ratiocinando erui deberent, ignorantia errent; hujusmodi error ipsis fraudi non est, adeoque rursus non est, cur adversus providentiam divinam conqueri possint.

Schol. Qua ratione fiat, ut in hac quoque providentia, in qua sine vera fide salutem æternam consequi nemo potest, nullus æternæ suæ infelicitatis causam in Deum conjicere queat, in revelata Theologia explanatur.

451 Pro reliquis objectionibus solvendis nota I. Evenit quidem non raro, ut aliqui post primum scelus à se commissum è vivis tollantur, æternisque addicantur suppliciis, dum quidam alii impune scelera sceleribus accumulant, & tamen demum resipiscendi occasionem obtinent, æternasque pœnas evitant; at istud cum justissima Dei providen-

tia minime pugnat. Deus enim vi supremi sui dominii plenum jus habet quemvis ob quodcunque scelus admissum æternis illico pœnis addicendi: attamen nullam habet obligationem illo suo jure utendi, sed potest differre pœnam, aut etiam remittere, prout ipsi libuerit. Itaque dum aliquos post commissum scelus illico punit, jure suo utitur; dum pœnam differt, aut etiam remittit, clementiam suam, quam nulli debet, exercet.

452 II. Prorsus non est indignum Majestate Dei, ut is omnia etiam villissima per se ipsum administret. Nam imprimis hujusmodi curæ Deum non avocant à perfecta ceterarum majoris momenti rerum gubernatione, nec quidquam ejus summæ felicitati detrahunt: cum neque laboribus fatigari, neque à rebus illis, quæ judicio nostro fœdæ sunt, ullam maculam contrahere possit. Deinde id in Deo summæ cujusdam perfectionis argumentum est, quod nihil omnino evenire possit, nisi eo vel volente, vel saltem consulto permittente: ac proinde id quoque è summa ejusdem perfectione dimanat, ut ejusdem providentia administrentur minima quæque. Non enim potest fieri, ut quidquid evenit, Deo volente, vel permittente eveniat, neque tamen certos fines bonos Deus his voluntatis suæ decretis præstituat, iisque adsequendis accommodata media adjungat: quibus capitibus providentiæ summa continetur (444.). Aliter sentiendum est de Principe terreno. Hic vilium rerum tractatione fatigaretur, maculareturque; idque omnino frustra, cum ei præsto sint servi, quorum opera in vilioribus negotiis tractandis uti possit: deinde vilioribus curis ab accurata majoris momenti rerum tractatione impediretur. Hujus ergo majestate indignum omnino esset, vilissima quæque per se ipsum administrare.

CAPUT QUARTUM.

De religione erga Deum.

§. I.

An exstet religio naturalis, & quibus partibus constet?

453 *Religio* est summi amoris, & obsequii cultus, ei, cui debetur, exhibitus. Id genus cultus, si vitiosus sit, *superstitio* nuncupatur: est autem vitiosus, si vel ei præstetur, cui non convenit; vel ex falsis de ente ceteroquin cultu digno opinionibus proficiscatur; vel denique ritibus absurdis, & ab ente colendo abhorrentibus peragatur. (*a*)

454 Religio dividitur in naturalem, & revelatam. *Naturalis* nonnisi

---

(*a*) *De origine vocabulorum* religio & superstitio *hæc adnotat Cicero* l. 2. de nat. Deor. c. 29. " *Non philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem à religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui liberi superstites essent,* superstitiosi *sunt adpellati; quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad Deorum cultum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti* religiosi *ex relegendo, ut elegantes ex eligendo, tanquam à diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. — Ita factum est in superstitioso & Religioso alterum vitii nomen, alterum laudis.*

ea complectitur, quæ ipso rationis naturalis ductu cognoscere possumus: ad *revelatam* vero ea pertinent, quæ intelligentiæ nostræ inaccessa, singulari quodam modo nobis à Deo revelantur. Quamquam si religio revelata secundum totam suam amplitudinem accipiatur, ad eam multæ id genus etiam veritates pertinent, in quarum notitiam naturali quoque ratione possumus devenire: si nempe eæ religionem concernant, & simul à Deo quoque singulari quodam modo nobis propositæ sint; cujusmodi est hæc e. g. veritas: *Deus est unicus.*

455 Religionem à nobis præstandam convenire Deo, nemo sanæ mentis potest in dubium revocare. Nam imprimis, cum Deus infinita bonitate gaudeat, omnisque humanæ felicitatis auctor sit, summum profecto meretur à nobis amorem; deinde cum sit conditor omnium, conservator, gubernatorque providentissimus, obsequio quoque summo dignus est, atqui duobus his capitibus continetur religio (453); ergo religio à nobis præstanda convenit Deo. Et sane si vel ipsius naturæ admonitione incitamur ad omne officii genus Parentibus nostris exhibendum; quidni communem omnium Parentem Deum, cujus infinita efficacitate de nihilo conditi sumus, & cui omnem nostram felicitatem debemus, dignum esse arbitremur, cui summum amorem, obsequiumque præstemus? Non minus certum est, religionem Deo duntaxat convenire. Religio enim est cultus summi amoris, & obsequii (453); ergo ei duntaxat convenit, qui summa bonitate præditus, omnisque felicitatis nostræ auctor est, ac proinde soli Deo.

Coroll. Potest ergo Deus à nobis exigere religionem, ita ut ejus prævaricatores gravissimarum pœnarum rei efficiantur. Si enim terrestres Principes gravissimis pœnis jure adficiunt eos, qui debitum honorem, & obsequium ipsis exhibere detrectant, an non potiore jure supremus Mundi Dominus convenientem sibi religionem à nobis; secus severissime plectendis, exigere potest?

Schol. Ostendendum jam est, Deum reapse etiam exigere à nobis religionem, eamque tam naturalem, quam etiam revelatam; seu exstare leges stricte obligantes religionis tam naturalis, quam etiam revelatæ; à Deo nobis impositas, quibus parere debeamus, nisi gravissimarum pœnarum rei effici malimus. Ostendendum inquam, istud est. Non enim desunt, proh dolor! postremis hisce seculis impiissimi quidam homines, quorum alii nefanda veterum Epicureorum, animam humanam omni lege exemptam volentium deliria resuscitantes, contendunt nullam exstare religionem, quam ab hominibus Deo præstari sit necesse; alii naturalem quidem religionem exstare; ac revelatam fictitiam esse, atque adeo contemnendam scelerate dictitant: utrique pestiferam doctrinam suam copiosis libellis, ad incautos decipiendos apte concinnatis, late spargunt, & innumeros mortales, ex iis cumprimis, qui ad vitæ libertatem ceteris proniores sunt, in æternam animæ perniciem præcipites agunt. Itaque §. hoc existentiam religionis naturalis stabiliemus; de revelata in sequentibus acturi.

456 Ii, qui contendunt nullam exstare religionem, in tres classes dividi possunt. In prima classe sunt *Athei*, qui cum existentiam Dei negent, consequens est, ut religionem quoque omnem contemnant. Hi ad sanam de religione mentem non prius adducentur, quam edoceantur Dei existentiam. Ad 2.*dam* classem revocari possunt ii, qui tametsi Dei ex-

istentiam non inficientur, omnia tamen in mundo fatali cuidam necessitati subjecta esse arbitrantur. Cum enim hujusmodi fatalis necessitas liberum arbitrium nostrum penitus evertat; simul tollit etiam religionem omnem, per actus nostros liberos exercendam. His itaque insanus ille de fato error primum eximendus est, & liberum hominis arbitrium dilucide proponendum. *Tertiam* classem constituunt *Deistæ*, qui tametsi Deum existere statuant, ejusdem tamen providentiam, & cum hac religionem ipsam naturalem tollunt; inquientes, non esse nos curæ Deo, perinde ipsi esse, sive aliquem, sive nullum ei præstemus cultum, cum se solo beatissimus sit, felicissimusque. Contra hos, naturalis religionis, quam Deo præstare debeamus, existentiam evincemus utique, si evicerimus exstare præcepta juris naturæ, seu normam quandam, quam Auctor naturæ necessario nobis imposuerit, ut ad eam actiones nostras liberas exigere teneamur; vi cujus normæ quædam actiones nostræ, ut amor Dei, obedientia erga Principes, Parentes &c. laude, præmioque dignæ sint, aliæ vero, ut odium Dei, inobedientia erga Principes, Parentes &c. vituperium, pœnamque mereantur. Hoc, inquam, si evicerimus, existentiam religionis naturalis evincemus. Nam imprimis obstringi nos lege, actiones nostras liberas id genus normæ conformandi, profecto tantundem est, ac exstare religionem Deo à nobis præstandam, juxta illud Socratis apud Xenophontem: " Non sanctius & „castius coles Deum, quam ea, quæ „jusserit, faciendo." Deinde hujusmodi religio jure nuncupatur naturalis: num enim aliqua, & quæ exstent juris naturalis præcepta, ductu rationis naturalis cognoscimus; religio autem, quæ ipso rationis ductu cognoscitur, *naturalis* nuncupari solet (454.)

457 Propositio. Exstat religio naturalis. *Prob.* Exstant præcepta juris naturæ, quæ Deus infinite bonus, ac sapiens nobis imponere debuit, ut ad ea nostras actiones liberas exigere teneamur: atqui exstare id genus præcepta tantundem est, ac exstare religionem naturalem (*præc*); ergo exstat religio naturalis. *Prob. maj.* 1.*mo* Si Deus id genus præcepta juris naturalis neque debuisset nobis imponere, neque etiam imposuisset; dicendum esset, fieri posse, ac etiam fieri, ut perinde non displiceat Deo, si eum homines odio habeant, contemnant, blasphement, quidpiam pro arbitrio suo forte præcipienti obedire detrectent &c. quam si eundem ament, æstiment, laudent, quidpiam jubenti prompte, alacriterque pareant &c. Atqui hæc, & alia id genus profecto indigna Deo forent, & infinitis ejusdem perfectionibus manifeste repugnant. Tametsi enim liberum Deo fuerit hominem condere, vel non condere; postquam tamen eum condere decrevit, non potuit ei aut nullum, aut alium finem ultimum præfigere, quam manifestationem Divinarum suarum perfectionum, gloriamque suam extrinsecam (213.): quomodo autem intenderet Deus serio finem hunc per homines adipisci, si ei perinde non displicerent homines, qui ipsum odio habeant, contemnant, blasphement, quam qui ipsum ament, æstiment, ac laudent? si perinde nullius culpæ reum velit esse eum hominem, qui ipsi forte quidpiam libere jubenti obedire detrectaret, ac eum qui ipsi prompte, humiliterque pareret?

Prob. eadem major 2.*do* Nemo sanæ mentis dicet, posse à Deo sum-

me sancto, & sapiente præcipi nobis odium & contemptum sui, cultum idolorum &c. ergo hæc, & alia id genus opera pugnant cum eo fine, quem Deus hominibus, postquam eos condere decrevit, præfigere debuit: secus enim cur ea Deus nobis pro libertate sua præcipere non posset? Igitur dicta opera Deus nobis prohibere debuit, ac proinde jam exstant aliqua juris naturæ præcepta: si enim opera cum dicto fine pugnantia Deus non prohibuisset nobis, cum tamen potuerit; profecto finem illum seria voluntate nequaquam intendisset. Sic etiam quis diceret ab aliquo Magistratu serio intendi publicam tranquilitatem, si is non prohiberet id genus opera, quæ directe pugnent cum tranquillitate publica?

Prob. 3.tio Exstare præcepta juris naturalis, ac proinde etiam religionem naturalem. Ipsa naturaliter nobis insita vis, quæ *communis naturæ sensus* vocatur, infallibileque veritatis criterium est (*Log.* 170.), docet aliquas actiones humanas natura sua bonas esse, alias autem malas. Sic "quæ natio (sunt verba Ci-„ceronis *l.* 1. *de Leg. c.* 9.) non co-„mitatem, non benignitatem, non „gratum animum, & beneficii me-„morem diligit? quæ superbos, quæ „maleficos, quæ crudeles, quæ in-„gratos non aspernatur, non odit?" Quem quidem naturæ sensum, scilicet de quibusdam actionibus humanis natura sua bonis, aliis autem natura sua malis, ipsi etiam sceleratissimi quique vel inviti produnt. Nam imprimis nemo sane eorum est, cui virtus suapte natura non placeat: qui non probet meliores, quamvis eos imitari, ne cupiditates suas refrenare cogatur, renuat; qui scelera sua, quantumvis grandia, excusare, & illis speciem virtutis prætendere non conetur: "quod non facerent (inquit Seneca „*l.* 4. *de Benef. c.* 17.) nisi illos „honesti, & per se expetendi amor „cogeret moribus suis opinionem „contrariam quærere, & nequitiam „abdere, cujus fructus concupis-„citur, ipsa vero odio, pudorique „est." Deinde nemo magis angitur delictorum conscientia, nemo futurarum pœnarum metu magis excruciatur, ac flagitiosi illi homines, qui nulla juris naturalis præcepta, nullam exstare religionem scelerate contendunt. Jam vero quæ hujusmodi anxietatum, conscientiæque stimulorum alia causa est, quam quod actiones suas malas, dandisque post mortem pœnis obnoxias, ipsius naturæ admonitione vel inviti agnoscant? Igitur exstant aliqua juris naturalis præcepta, ad quæ actiones nostras exigere teneamur: cur enim aliquæ actiones nostræ essent natura sua bonæ, aliæ vero malæ, si non exstarent naturalia quædam præcepta, quibus illæ conformes sint, hæ vero difformes?

Coroll. 1. Cum legum finis sit earundem observantia, hæc autem sine legitima earum cognitione, cognitio sine promulgatione obtineri nequeat; naturæ leges eadem necessitate; qua nobis ab Auctore naturæ impositæ sunt, promulgari etiam debuerunt. Promulgat eas ipsa naturaliter nobis insita ratio, juxta illud Tullii *l.* 1 *de Legib.* "Quibus ratio à „natura data est, iisdem & recta „ratio data est; ergo & lex, quæ „est recta ratio in jubendo, & ve-„tando."

Coroll. 2. Obligatio religionis, uti ex hactenus dictis liquet, ex infinita Dei perfectione, & essentiali creaturarum ab eodem dependentia deducitur: quemadmodum ergo nihil horum tolli potest, ita neque obli-

§. II.

De religione revelata generatim.

459 Qui sola religione naturali contenti, revelatam pro fictitia habent, ac proinde repudiandam dictitant, *Naturalistæ* nominantur: quanquam eos aliqui sæpe *Deistas* vocant. Porro *Naturalistæ* nullam oraculis Divinis fidem habent: rident eos ritus, quibus Deum, ipsomet suam hominibus voluntatem manifestante, colimus; idque unum, quod naturalis ratio suggesserit, à nobis Deo præstandum esse dictitant. Priusquam impiam horum doctrinam refellamus, duæ de Christo sunt præmittendæ propositiones.

460 Propositio I. Historiam vitæ gestorumque Christi, quam libri novæ legis in se complectuntur, in dubium revocare prudenter nemo potest. *Prob.* Historia vitæ, gestorumque Christi, quam libri novæ legis in se complectuntur, pares, imo firmiores veritatis characteres habet, quam quævis alia profana historia: si ergo non possumus prudenter rejicere e. g. annales Græcorum, aut Romanorum; neque possumus de veritate dictæ historiæ prudenter dubitare. *Prob. ant.* dictos characteres enumerando. 1.*mo* Auctores librorum novæ legis scribunt de rebus ejus temporis, quo ipsi vivebant; ut testantur summi viri, Clemens Romanus, Polycarpus, Ignatius &c. qui eorum Auditores erant. 2.*do* Iis de rebus perhibent testimonium, quarum ipsimet fuerint spectatores: quod ipsorum testimonium consequentium deinceps ætatum auctoritate confirmatum, nusquam interrupta traditionis serie ad nostra usque tempora permanavit. 3.*tio* Auctores dictorum librorum, uti & ipsorum socii, qui ea, quæ libris illis de Christo continentur, in maxima hominum frequentia usque ad exitum vitæ suæ testificati sunt, prorsus nulla habebant illicia, quibus ad pejerandum incitarentur. Nam imprimis Christus jam tum neci datus erat; ac proinde si falsa fuissent, quæ de isto illi spargebant, nihil ab eodem sperandum, nihil metuendum habebant: deinde propositis honoribus, opibusque invitabantur à Judæis ad ea neganda, quæ prius de Christo prædicassent; sin autem in proposito persisterent, tormenta, cruces sibi parari non ignorabant: maluerunt tamen furorem inimicorum sustinere, discerpi, crudelissimeque enecari, quam à prædicando Christo desistere, ne dicam revocare illa, quæ prius testabantur.

4.*to* Libri illi, utut Synagogam, ritusque Judæorum eversum irent, nunquam ab his, tametsi legum suarum retinentissimis, eo nomine fuerunt reprehensi, quod commentitii, suppositisque nominibus conficti essent. Pariter primorum seculorum heterodoxi, dum argumentis, quæ his è libris deprompta essent, refellerentur, non eo scuto se se defenderunt, quod libri illi fide digni non essent, sed relicta illis auctoritate, ad alias artes sese converterunt. Patebunt hæc ei, cui temporum illorum historias evolvere libuerit. 5.*to* Denique illa, quæ in illis libris de Christo narrantur, eorum quoque calculo comprobata sunt, qui à religione Christiana plurimum abhorrebant. Sic 1) Iulianus Apostata fatetur novum sidus adparuisse post Christum natum, & ad hunc venisse Magos; sed ortum sideris illius causis naturalibus imperite adsignat. 2) Idem Julianus, nec non Celsus, pariter infensissimus

gatio religionis. Hoc est, nequit Deus ullam creaturam ratione præditam obligatione religionis absolvere: cui proinde obligationi non populi modo universi, sed ipsi quoque Principes constanter obnoxii manent. Hinc tametsi Principis potestas *suprema* sit hoc sensu, quod is, quidquid justum, & promovendo bono communi idoneum videtur, id omne jure summo præcipere possit; non est tamen *suprema* hoc etiam sensu, quasi Princeps nulli religionis, naturæque legi subjectus esset, jureque posset ea etiam subditis suis præcipere, quæ æternæ Dei legi, per rectam rationem mortalibus manifestatæ aperte adversantur. Unde patet, quam fœdus fuerit Hobbesii error, qui leges civiles Principum ita statuit esse justi, & injusti regulam, ut quidquid demum Princeps præcipit, id omne eo ipso evadat *justum*, *injustum* vero, quidquid is vetat. Hoc enim pacto quæcunque abominanda flagitia, religioni, rectæque rationi utcunque adversantia, illico evaderent justa, licitaque, ut primum à Principe præciperentur: quo quid magis absurdum cogitari potest? Errorem hunc jam dudum refutavit Cicero *l.* 1. *de Leg.* "Si populorum jussis, inquit, si Principum decretis, si sententiis judicum jura statuerentur; jus esset latrocinari, jus adulterare, testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis & scitis multitudinis probarentur. Quodsi tanta potestas est stultorum sententiis, atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt, ut quæ mala, perniciosaque sunt, habeantur pro bonis, & salutaribus? aut cur, cum lex ex injuria jus facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo?"

458 Auctor naturæ ipsa etiam rationis judicia quædam, quæ Divinis ejus perfectionibus adversantur, e. g. ne judicemus eum esse malum, injustum, imbecillum &c. vetare, eorumque contraria præcipere debuit. Hinc religio naturalis (id quod de revelata quoque intelligendum erit) duabus quasi partibus constat: theoretica, & practica. *Theoretica* religionis naturalis pars exigit, ut de natura Dei recte sentiamus: scilicet eum esse unum, infinite bonum, justum, omnipotentem &c. *Practica* vero postulat, ut eundem amemus, metuamus, invocemus, colamus, idque externis signis contestemur; ut denique omnes actiones nostras ad rectæ rationis normam exigamus.

Dixi: ut Dei cultum *externis signis contestemur.* Quamvis enim Deus intimos quosque cordis nostri motus distinctissime pervideat, tametsi nos eos nullis omnino signis externis manifestemus; infinita tamen ejus excellentia, summusque in nos dominatus jure suo à nobis postulat, ut eum pro supremo mundi Domino à nobis haberi, externo quoque cultu conveniente, ipsique grato contestemur. Profecto non minus dependemus à Deo quoad corpus, quam quoad animam: quidni ergo nostram ab eo dependentiam non internis duntaxat animæ, sed externis etiam corporis actionibus testatam faciamus, atque ita externam ejusdem gloriam amplificemus? Et vero ad externam quoque religionem Deo præstandam ipsa tacita naturæ admonitione incitari homines, patet ex consensu omnium ætatis omnis populorum qui cultum externum sive vero Deo, sive fictitiis semper exhibuerunt, & etiamnum exhibent.

Christianorum hostis, patrata à Christo prodigia non inficiantur; utut alter eorum eadem verbis nimium elevet, alter vero adpellet præstigias. 3) Mirabilem illam solis defectionem, item terræ motum, quæ moriente Christo evenerant, refert Phlegon l. 13. Olympicorum Chronicorum: eadem confirmant alii quoque Scriptores Ethnici, ut testatur Eusebius in Chronico. 4) Josephus, celeberrimus Scriptor Judæus de Christo *l.* 18. *Antiquit. c.* 6. sic scribit: "Fuit autem eisdem temporibus Jesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & Doctor hominum eorum, qui libenter, quæ vera sunt, audiunt. Et multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum esse decrevisset, non deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Adparuit enim eis tertia die iterum vivus: secundum quod divinitus inspirati Prophetæ, vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. Sed & in hodiernum, Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseverat, & genus." Non ignoro esse quosdam, qui subdubitent, ista unquam à Josepho esse de Christo scripta: at immerito sane. Nam ut eruditissimus Huetius testatur *Demonstr. Evang. Prop.* 3. *n.* 11. in omnibus omnino Josephi codicibus, tam excusis, quam etiam manuscriptis hoc ejus insigne de Christo testimonium reperitur.

Hi ergo veritatis characteres si cui non sufficiant, ut historiam vitæ, gestorumque Christi, quam libri novæ legis complectuntur, fide dignissimam esse arbitretur; is profecto nullis unquam Scriptoribus fidem habeat, omnemque hominum quidpiam attestantium auctoritatem contemnat, est necesse.

461 Propositio II. Christum esse Deum, prudenter dubitare nemo potest. *Prob.* 1.*mo* Christus vel est Deus, vel fuit homo sceleratissimus, aut certe mente captus: atqui dici nequit, eum fuisse hominem sceleratum, aut mente captum; ergo est Deus. *Maj.* patet Christum enim tam per se se, quam per discipulos suos vulgabat, se esse naturalem Dei filium, ac proinde verum Deum; quam etiam ob causam à Judæis neci datus est. Jam si vera erant, quæ de se ipso spargebat; eum verum esse Deum fateamur, oportet. Sin autem falsa erant; sane Christus vel mente captus, vel sceleratissimus homo esse debuit. Probus enim, sanæque mentis homo in ejusmodi gravissimum errorem mundum universum inducere nunquam conabitur. *Min.* vero *prob.* Imprimis Christum non fuisse mentis impotem, in confesso est. Nam annos duodecim natus cum veteranis Judæorum Doctoribus in templo sapientissimos de Religione sermones habuit; ita ut in admirationem raperentur, qui eum literis nunquam dedisse operam, probe noverunt. Tam sapienter dicere solebat ad populum, ut plura hominum millia ejus doctrinam excipiendo, cibi obliviscerentur. Futura, nec non arcana cordium detexit. Quæ, & plura id genus alia legimus de illo in iis libris, quorum auctoritatem n. præc. vindicavimus. Adde testimonium Josephi, eodem nu. relatum. Deinde Christum non fuisse sceleratum, ex ejus vita, & gestis, quæ dictis libris continentur, item è doctrina sanctissima, qua homines ad colendas virtutes, deserendaque vitia constanter incitabat,

cumulatissime patet. Certe dum invidi Judæi eum de medio tollere totis viribus conarentur, in eodem verum crimen deprehendere non poterant; sed conquisitis falsis testimoniis innocentem coram Pilato accusabant, ipso ethnico judice calumnias Judæorum agnoscente, deque innocentia Christi palam testimonium perhibente.

462 *Prob. 2.do* Innumera miracula patravit Christus cum per se, tum per Discipulos suos, quibus Divinitatem suam comprobaret; uti erant: subitæ morborum inveteratorum curationes, sine arte, sine medicamentis peractæ; piscium, ac panum, ut numero paucissimi pluribus famelicorum hominum millibus saturandis sufficerent, multiplicationes: mortuorum ad vitam revocationes, ut Lazari, Filii viduæ in Naim &c. Quæ & alia prodigia ne quidem Pharisæi, & Sacerdotes poterant negare; sed omnes conatus suos eo converterant, ut eorundem patratorem JESUM quantocyus interficerent, ne universa plebs ipsi adhæreret. Profecto hæc, & alia plura, quæ de Christo legimus, non fuisse præstigias ope Dæmonum factas, sed vera miracula, dubitare non possumus: tum quod Christus probissimæ vitæ fuerit (*præc.*), iisque prodigiis imperium Dæmonum evertere conaretur, ab eorumdem aris falsorum numinum cultores avellendo; tum quod plura eorum omnes omnino naturæ creatæ vires manifeste exuperent, sintque ex eorum numero, quæ *miracula stricte sumpta*, *supernaturalia quoad se* nuncupari diximus n. 201. Dicta ergo Christi miracula virtute Divina patrata sunt. Jam vero Deus in confirmationem falsitatis miracula patrare non potest; id enim summæ ejus perfectioni, qua infinite verax est mentirique nullo modo potest, aperte adversatur. Itaque cum ea miracula in comprobationem Divinitatis Christi patrata sint; Christum verum esse Deum fateamur, adoremusque, oportet.

Metaphysica.

463 PROPOSITIO III. Exstat aliqua religio à Deo revelata. *Prob. 1.mo* Christus est verus Deus (461); atqui exstat religio à Christo revelata, uti testantur libri novæ legis, quorum auctoritatem in dubium vocare non possumus (460.): exstat igitur aliqua religio, à Deo revelata.

464 *Prob. 2.do* Argumento inde ducto quod sola naturalis religio absque omni revelata, in hac quidem, quam sentimus, naturæ humanæ constitutione non sufficiat humano generi ad finem suum perducendo. Sequentibus autem Propositionibus id argumentum proponi potest. I. Multa, quæ ad religionem naturalem pertinent, ab intellectu humano sibi relicto admodum difficulter possunt perspici, ita ut nullus sane potuerit hactenus jure gloriari, se ea omnia solius naturæ ductu plene pervidisse. Id quod abunde patet, vel ex turpissimis gentium antiquarum, etiam cultiorum (quales erant Phænices, Ægyptii, Græci, Romani &c.) circa res ad religionem pertinentes erroribus. Nam præterquam quod tot fictitiis diis cultum divinum tribuerint, quam fœde errarunt in statuendis morum regulis? Nonne incestuosas Matris cum Filio nuptias probarunt Ægyptii, Phænicesque? Nonne dolos, & furta Spartiatæ, promiscuas mulieres Hircanii, alia vitia gentes aliæ licita esse voluere? Atque grandes hujusmodi errores non indoctæ duntaxat plebis, privatorumque hominum erant, sed erant sensa integrarum nationum, publicis Magistratuum decretis sancita, è Philosophorum, qui omnem vitam cognoscendæ naturæ consecrarunt,

AA

incitetur; ut adeo ad providentiam Dei pertinuerit, ut nos omni penitus revelatione ad religionem pertinente non destituat.

Coroll. Deplorandam ergo esse misere cæcutientium *Naturalistarum* sortem, in aperto est.

468 Neque sequitur ex his, rationem naturalem; qua gaudemus, non esse Dei donum suo in genere perfectum. Rationis enim munus est, nos in veritatum, vim ipsius non excedentium, cognitionem deducere, modo ipsa recte utamur: quod ea præstat omnino, quotiescunque ipsa recte utimur; tametsi ea in omnibus, & diu recte uti, ob multiplicia impedimenta moraliter impossibile sit. Id verum est, ex ingenti illa, quam superius descripsimus, leges naturales cognoscendi, implendique difficultate jam veteres Philosophos (uti ostendit S. Augustinus *lib.* 5. *contra Julian. c.* 15.) suspicatos omnino fuisse, statum, in quo sumus, non esse primigenium, sed talem, in quem homines aliqua culpa sua fuerint delapsi (*a*). Nos ex revelatione Divina novimus, Protoparentes nostros, Adamum, & Evam in beato innocentiæ statu (de quo num. 306. in *resp. ad confirm. objectionis 3tiæ* aliqua breviter adnotavimus) fuisse conditos: at in pœnam commissi ab iisdem delicti, naturam humanam, quam ab iisdem infelices posteri trahimus, gratuitis Dei donis, innocentiæ statui concessis spoliatam esse, & in pejus commutatam (*b*).

(*a*) *Nec immerito. Quis enim credat, hanc, qualem nunc inesse nobis sentimus, naturam; ad malum tantopere proclivem, à bono adeo abhorrentem ab optimo, sapientissimoque naturæ Auctore, quin ulla hominum culpa intervenerit, primum manasse? Quis credat, citra omnem pœnam homini eam obtigisse naturam, quæ ipsum ab obtinendo fine tantopere moretur, cum ipsa animalia ratione destituta ad adsequendum finem suum à natura adjuventur? Tametsi ratio naturalis, etiam abstrahendo mentem ab omni pœnæ ratione, evincat, consequens fore, ut ad malum quoque, quum illud sub ratione boni nobis proponitur, inclinemur; cur tamen, cum simul oppositæ etiam actionis bonitas menti relucet, non eadem vi in bonum, qua in malum inclinamur? cur mali facile, nulloque negotio efficimur, ad virtutem autem nonnisi natura tota adversante eluctamur? Sed hac de re Theologi uberius.*

(*b*) *Dæmonis quoque adsultibus, ac tentationibus variis in pœnam originariæ labis subjecti sumus; de quo sic loquitur S. Cyprianus* Tract. de Cœlo & Civ. "*Circuit ille nos singulos, inquit, & tanquam hostes clausos obsidens, muros explorat, & tentat, an sit pars aliqua membrorum minus stabilis, & minus fida, cujus ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, ut visu destruat castitatem, aures per cantum, & musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat, & molliat Christianum vigorem: linguam convitio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat, ut fraudatorem faciat: lucra opponit injusta, ut animam pecunia capiat: ingerit perniciosa compendia: honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat: ostentat falsa, ut vera surripiat, & cum latenter non potest fallere, exerte, atque aperte minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentat ad debellandos Dei servos: inquietus semper,*

sententiis profecta, aut certe ab iisdem adprobata. Quodsi etiam accidit, ut Philosophi quipiam insanam popularium suorum religionem non omni ex parte probarent; iidem tamen se ipsos quoque turpissimis erroribus detineri abunde prodiderunt. Sic Aristoteles crudelem prolium expositionem probavit, uti & lascivas imagines, cum eæ Deos, Deasque referrent &c. Plato Deos, quos toties risit, edixit tamen *l.* 13. *de Republ.* pro recepta locorum consuetudine colendos. Idem ebrietatem in Bacchi feriis licitam contendit. Cicero tametsi miretur *l.* 2. *de Divin.* "quod non „rideret aruspex, aruspicem cum vi„disset;" *l.* tamen 2. *de Leg.* "il„lud, inquit, ex institutis Ponti„ficum, & aruspicum non mutan„dum est, quibus hostiis immolan„dum cuique Deo." Quapropter jure reprehenditur à Lactantio *l.* 2. *Div. Inst.* "Video te, Cicero, terre„na, et manufacta venerari: vana es„se intelligis, & tamen eadem facis, „quæ faciunt ipsi, quos ipse stultis„simos confiteris." Nempe non solum magno, multisque scientiis exculto ingenio opus est ad ea omnia, quæ religionem concernunt, plene pervidenda; sed assidua insuper animi, à curis, præjudiciis, cumprimis autem à pravis adfectibus liberi meditatione: quæ omnia simul in quo, quæso, qui quidem sibi; naturæque suæ relictus sit, reperienda putabis?

465 II. Imo sunt aliqua ad religionem naturalem pertinentia, quæ ne possunt quidem sola natura duce perspici. Nam imprimis quoniam Deo externum quoque cultum exhibere debemus (458.), profecto ad completam religionem pertinet notitia eorum rituum externorum, quibus vult Deus à nobis coli: deinde ad eandem pertinet etiam cognitio modi, quo commissa peccata (siquidem Deus ad ea certis sub conditionibus remittenda paratus sit) expiari queant. Neutrum autem posse sola natura duce cognosci, in confesso est.

466 III. Religio naturalis, prout ad voluntatem refertur, adeo ardua est, ut ejus quidem legibus omnibus observandis natura non sufficiat. Tanta enim est humanæ voluntatis ad malum propensio, & arduæ, sensibusque repugnantis virtutis horror quidam, ut ad ea continenter vincenda nos ratio naturalis sibi relicta nequaquam incitet sufficienter. Istud vel inde satis patet, quod clarissimi etiam apud Veteres Philosophi, qui de Deo, anima humana, legibusque morum præ ceteris melius sentire videbantur, mores vitiis doctrinæ suæ quam maxime oppositis defœdatos præsetulerint. "Quotus „enim quisque Philosophorum inve„nitur, inquit Cicero *l.* 2. *Tusc.* „*Quest. c.* 4. qui sit ita moratus, ita „animo, ac vita constitutus, ut ra„tio postulat? qui disciplinam suam „non ostentationem scientiæ, sed le„gem vitæ putet, qui obtemperet ip„se sibi, & decretis suis pareat." Nempe bona præsentia, sensibusque sæpius obversantia vehementius adliciunt hominem ad transgressionem legis, quam ab eadem retrahant, & ad arduam virtutem impellant ea motiva, quæ solo intellectu attinguntur, & eas duntaxat pœnas, aut præmia, in quorum notitiam sola naturali ratione citra omnem revelationem deveniri possit, post mortem primum futura proponunt.

467 Ex his consequitur, religionem naturalem infirmam omnino, incompletam, & humano generi ad finem suum perducendo insufficientem esse, nisi accedat revelata, cujus præsidio, & intellectus plenius cognoscat, quæ agenda sint, & voluntas ad ea amplectenda efficacius

§ III.

De religione christiana.

469 Religiones publicæ, quæ nimirum apud diversas nationes obtinent, ad quatuor has classes revocari possunt: *gentilismum, mahumedanismum, judaismum*, & religionem Christianam. Jam fœdas gentium, falsa numina colentium, superstitiones non posse placere Deo, manifestum est. Quod ad tres reliquas religiones attinet, non desunt ejusmodi cæci homines, qui dicant, quamlibet earum placere Deo, posseque hominem æternam salutem consequi, cui demum cunque religionum illarum mancipatus sit, modo unum Deum juxta leges religionis suæ colat: ac proinde seu sit Turca, seu Judæus, sive Christianus. Qui pernicioso hoc errore detinentur, *Indifferentistæ laxiores* solent nuncupari. *Indifferentistæ strictiores* illi sunt, qui censent, religionem Christianam esse quidem ad salutem necessariam; perinde tamen esse, sive sis Catholicus, seu Lutheranus, Calvinista &c. Quanto in errore versentur *laxiores* Indifferentistæ, è sequentibus elucebit: *strictiores* autem confutandos Sacratiori Theologiæ relinquimus, ne in ejusdem septa irrumpere videamur.

470 Propositio I. Religionem, quam nos Christus docuit, esse veram religionem, prudenter dubitare non possumus. Eadem istud argumenta evincunt, quibus Christum verum esse Deum ostendimus num. 461, & 462. Si enim Christus verus Deus est; fieri nequit, ut ea religio, quam ille nos docuit, vera non sit.

471 *Confirm. 1.mo* Tot illis miraculis, quæ seu ab Apostolis, sive ab eorum Successoribus, viris sanctissimis, Christi fidem prædicantibus creberrime patrata esse negare non possumus, nisi omnem omnino fidem Historicis, magna consensione passim illa referentibus, pro solo arbitratu nostro summa cum temeritate derogandam putemus.

472 *Confirm. 2.do* Mirabili religionis hujus propagatione, qua illa mox à morte Christi per totum terrarum Orbem caput extulit. Equiquem mirandum non est, si numerosos sectatores nanciscantur ii, qui consentanea naturali nostræ propensioni dogmata, vitæ licentiam, voluptatesque sectandas doceant: exigua enim propulsione opus est, ut in eam prolabamur partem, in quam alioquin nativo pondere ferimur. Quodsi præterea arma, visque adhibeatur, uti Mahumedes sectam suam carni & sanguini quam maxime faventem propagavit, res perfectu adhuc facilior est. At Christianæ religionis dogmata, hominum, iis cumprimis temporibus ad omnem vitæ licentiam effusorum propensionibus, naturæque adversabantur quam maxime: præterea mysteriis intelligentiæ nostræ inaccessis refertissima erant, simulque convelle-

„& semper infestus: in pace subdolus, in persecutione violentus." Vel hi ergo & similes Dæmonis adsultus faciant, ut & intellectus indiscernendo bono, & voluntas in eo amplectendo majorem difficultatem sentiat, ac sentiret secus, & postquam sæpius ad errorem & malum inclinata mens, quendam quasi habitum pravum, & consuetudinem contraxit, cessantibus etiam Dæmonis adsultibus, inflictum intellectui, & voluntati vulnus sentiat.

bant tam synagogam notæ pervicaciæ Judæorum, quam etiam inveteratas Romanorum, ceterarumque gentium superstitiones: unde etiam nihil non agebant Imperatores, Reges, Principes, quo novitiam hanc doctrinam in ipsa veluti herba suffocarent. Incurrebat adeo in Principum odium, in supplicia gravissima, ferociter undique intentata, quisquis Christianæ religioni nomen daret. Auctor novellæ religionis Christus duos inter latrones infami morte peremptus esse sciebatur: ejus præcones erant numero paucissimi, obscuro nati genere, nulla prius doctrinæ laude conspicui &c. Hi tamen tot, tantique obices efficere non poterant, ne novitium dogma per totum, qua late patet, terrarum orbem celerrime propagaretur. Porro non vi, non armis, sed sola paucorum illorum de indocta plebe electorum à Christo hominum eloquentia propagabatur. Principum undique in Christianos dire desævientium furor id effecit, ut quo plures ex Athletis Christi discerperentur, eo major esset eorum numerus, qui contempto suppliciorum, mortisque metu ad sacram hanc militiam undique palam convolarent. Quot autem natalium splendore, gestis magistratibus, sapientiæ laude conspicui erant inter eos, qui novitiam doctrinam humanis cupiditatibus adeo oppositam catervatim sunt amplexi! Polycarpus, Dionysius, Ignatius, Quadratus, Apollinaris, Melito, Justinus, Athenagoras, Origenes, Tertullianus, & alii innumeri. Hæc si docilis, verique amans animus, ut par est, expendat, fierine potest, ut potentem Dei dexteram in mirabili hac religionis Christianæ propagatione non agnoscat, deque veritate ejusdem disceptandum putet?

473 Propositio II. Sola religio Christiana pro vera religione habenda est. *Prob.* præcipua Christianæ religionis dogmata negant, rejiciuntque omnes reliquæ religiones: e. g. tres esse in Divinitate Personas; Christum esse verum Deum, & hominem &c. Si ergo religio Christiana est vera; reliquæ omnes religiones negant, rejiciuntque aliqua dogmata divinitus hominibus manifestata, proindeque sunt falsæ: atqui religio Christiana est vera (*præc.*); igitur omnes reliquæ ab hac distinctæ sunt falsæ. Id est, sola religio Christiana est pro vera religione habenda.

474 *Obj. 1.mo* Religio Christiana complura ejusmodi dogmata proponit crédenda, quæ credere nemo prudenter potest: ergo de ejus veritate prudenter dubitare possumus. *Prob. ant.* Religio Christiana complura ejusmodi dogmata proponit credenda, quæ intellectus humanus intelligere, & comprehendere non potest, uti sunt mysteria SSmæ. Trinitatis, Incarnationis &c. atqui hujusmodi dogmata credere prudenter nemo potest; ergo religio Christiana complura &c. *Prob. min.* Nequit intellectus prudenter præbere firmum adsensum cuipiam dogmati, nisi pervideat, nihil esse in prædicato, quod subjecto repugnet: atqui istud in dictis mysteriis non videt humanus intellectus, ergo dicti generis mysteria credere prudenter nemo potest.

℞. *N. ant.* Ad prob. *D. maj.* quæ intellectus humanus intelligere, & comprehendere non potest quoad modum & rationem ipsis intrinsecam, qua existunt *C. maj.* quoad ipsam eorum existentiam, seu quod reapse existant *N. maj* sic *dist. min. N. cons.* Multæ veritates sunt, quarum tametsi modum existendi non intelligamus, ipsam tamen existen-

tiam in dubium revocare non possumus: igitur etiam in dictis mysteriis tametsi modum existendi non possimus intelligere, e. g. quomodo Deus natura unicus possit simul esse in personis trinus; eorundem tamen existentiam credere possumus, si adsit sufficiens pro credendo auctoritas. Jam vero postquam prudenter dubitare non possumus, Christum à quo religio Christiana proficiscitur, verum fuisse Deum; utique mysteria Christianæ religionis nituntur infallibili Dei revelantis auctoritate, cui non credere summe impium, ac insanum est.

Ad prob. *min. D. maj.* Nequit intellectus prudenter præbere firmum adsensum cuipiam dogmati *ob evidentiam ei intrinsecam*, nisi pervideat, nihil esse in prædicato, quod subjecto repugnet *C. maj.* Nequit prudenter præbere firmum adsensum dogmati *ob evidentiam illi extrinsecam*, scilicet ob infallibilem Dei revelantis auctoritatem, nisi pervideat, nihil esse in prædicato, quod subjecto repugnet *N. maj. C. min.* & *N. cons.* Quid mirum, si multa, quæ Enti Infinito reapse conveniunt, intellectus noster angustis limitibus constrictus pervidere haud possit? Certe is, qui aliquod mysterium hoc unico ex capite existimaret esse falsum, quod ipse sua intelligendi vi ejus veritatem pervidere nequeat, similis esset cæco illi, qui omnia, quæ alii de coloribus tradunt, pro nugis, & commentis haberet propterea, quod ipse luminis & colorum ideam efformare nequiret. Hinc si constet, id genus mysterium à Deo esse revelatum; jam firmissimum eidem adsensum præbere possumus, & debemus, ob Dei revelantis auctoritatem, falli & fallere nesciam.

Urgeb. Mens adsentiri nequit iis rebus, quæ sunt contra rationem; ergo neque mysteriis Religionis Christianæ.

℞. *C. ant. N. cons.* Dispar ratio est. Nam ea, quæ contra rationem sunt: seu in quibus mens manifestam contradictionem contineri deprehendit, falsa sunt, esseque talia à mente cognoscuntur: at in mysteriis Religionis Christianæ veram contradictionem mens nostra non deprehendit, quamvis in iis prædicati cum subjecto connexionem pespicue non videat. Certe adparentes duntaxat esse contradictiones illas, quas e. g. in mysterio Santissimæ Trinitatis cavillari possent hostes religionis Christianæ, sacratior Theologia eleganter exponit. Adde, ab iis etiam, qui solam naturalem religionem tuentur, admitti debere multas ejusmodi veritates, quæ quomodo stare queant, humana mens pervidere non potest: sic quis unquam comprehendit Dei æternitatem, existendi necessitatem, reliquasque ejus proprietates infinitas?


475 *Obj. 2.do* Religio Christiana tradit etiam ejusmodi veritates à Deo esse revelatas, in quarum notitiam ipsa ratio naturalis sibi relicta deducere nos potest, e. g. Deum esse unicum: atqui credibile non est, veritates naturales à Deo esse revelatas hominibus; ergo non est credibile, Religionem Christianam à Deo esse revelatam. *Prob. min.* Id genus revelatio esset imprimis inutilis; nam veritas naturalis facilius cognoscitur per rationem, quam per auctoritatem, præsertim cum admodum durum sit veram revelationem à ficta discernere: deinde esset perniciosa humano generi; si enim semel statuatur revelationi credendum esse, plebs nimis credula à variis Pseudomagistris, quales nulla ætate non exstiterunt aliqui, varios in errores facile inducetur: ergo credibi-

le non est, veritates naturales à Deo esse revelatas hominibus.

℞. C. *maj.* N. *min.* Ad prob. *N. Utrumque ant. membrum.* Ac imprimis revelationem veritatum etiam naturalium esse non modo utilem, verum etiam necessariam hominibus clarum est. Maxima enim humani generis, pars à difficili veritatum ad religionem pertinentium investigatione, aut ingenii debilitate impeditur, aut rei familiaris administrandæ curis, aliaque negotiorum mole; maxima ergo humani generis pars ad condiscenda religionis officia indiget aliena institutione: cumprimis autem tenerior ætas, quæ si relinquatur sibi ipsi, dum adolescat, ratiocinandoque delabatur in notitiam veritatum ad religionem pertinentium; profecto diu absque Dei, religionisque notitia indignam homine ratione prædito vitam aget. Jam vero quæ, obsecro, institutio efficacior esse potest, quam si intelligant instituendi, veritates sibi propositas infallibili Dei revelantis auctoritate niti? quo argumento efficacius excitabuntur animi ad implenda religionis officia, quam si constet hominibus Deum fuisse locutum, suamque, ea officia à nobis exigentis, voluntatem manifestasse? Pure humana docentium auctoritas ad homines religione rite instituendos profecto vel ideo non sufficit, quod populus clarissimos etiam Philosophos erroribus obnoxius esse non ignoret. "Nihilne "illi (inquit de Philosophis Lactan-"tius *lib.* 3. *Div. Instit.* c. 27.) veri-"simile præcipiunt? imo permulta, "& ad verum frequenter accedunt. "Sed nihil ponderis habent illa præ-"cepta, quia sunt humana, & auc-"toritate majori, id est, Divina il-"la carent. Nemo igitur credit, quia "tam se hominem putat esse, qui "audit, quam est ille, qui præcipit."

Deinde, quod ad alteram objectionis partem attinet: ex eo quod nulla ætate non exstiterint aliqui Pseudo-Magistri, qui varios de revelata religione errores sparserint, sequitur, incautam in adhibenda fide, priusquam *motiva*, ut vocant, *credibilitatis* pateant, facilitatem esse perniciosam non autem religionem ipsam revelatam. Quod quidem periculum, ne videlicet rudiores falsa institutione in varios inducantur errores, etiam in religione pure naturali locum habet: nam in ea quoque rudiores aliena institutione opus habent. Et quidem periculum isthoc in religione pure naturali eo certius est, quo certius est, ne ab ipsis quidem Magistris rite perviderı omnia religionis naturalis officia, nisi revelatione Divina collustrentur.

FINIS.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm